

Q.K. 412,31.

X 186 2213

II i
174

Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM HISTORICO-
POLITICAM

De

SAULE REGE
ISRAELITARUM,

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
ex
consensu
IN ALMA PHILYREA

PRÆSES

M. FERDINANDUS GEORGI,
Neost. Ebersvvald.

&

RESPONDENS

MATTHIAS OTTO LEUTZO,

Papendorff.
MARCHICI

Publicæ Eruditorum Διασηψι

Die XXXI Augusti, Anni M. DC XIC

H. L. Q. C.

subjicient.



LIPSIAE,

Typis CHRISTOPHORI GUNTHERI.

K. & W. Wülfel



I quisquam tritum illud proverbium,
Asperius nihil est humili cum surgit in altum,

Sexemplo suo illustravit, certe Rex Israelitarum Saul fuit. Is quippe priusquam Rex eligeretur, sanctus & pius, imò exemplar hominis virtuosi erat: post mutatum autem conditionis suæ statum sectabatur crudelitatem, arrogantiam, impietatem aliaque immania vitia; & virtutes comparatas, munusque Regium spurcissimis fœdabat maculis: quod ex proposita dissertatione ulterius constabit; ejus namque gratia eandem consignavimus. Ordinis autem servandi gratia historiam ejus ad duo potissimum capita revocabimus, quorum alterum ea, quæ circa *adeptionem Regni* cum nostro contigerunt, continebit: alterum autem *administrationem Ejusdem imperii* considerabit: ubi de factis ejus nostram qualemunque *ἐπίκρασιν* politicam addemus, quo *Dissertatio jure historico-politicæ nomen* mereatur. Faxit DEUS Feliciter!

CAPUT I.
De
SAULIS ADEPTIONE REGNI.

§. 1.

Commodissimum adeptionis vocabulum nobis hic videtur; utpote qui per adeptionem Regni, non nisi actum illum solennem, in quo persona ignota, fortuito, adhibitis certis ritibus, Reipublicæ gubernacula accipit; intelligimus.

§. 2. Commodius itaque censemus vocabulo *Electio*nis; partem solummodo hujus tractationis, modum scilicet involvens: & *Inaugurationis*, adjunctum aliquod denotans: & *Creationis*, cum *Inaugurationis* verbo ferme coincidens: & *Unctionis*, sensu quidem

A 2

biblico

biblico, ut & generaliori aliquando hæc omnia; ast philosophico & speciali, non nisi Inaugurationis ceremoniam complectens.

§. 3. Coincidit autem ex parte tantum, cum *Electionis* & *Susceptionis* nominibus, non vero totaliter: respectum enim majorem ad populum habent, hujusque liberam & voluntariam electionem, quæ per vota absolvitur, significant: itemque *Occupationis* definitione, quæ tamen ab ambiguitate liberanda, plerumque enim invitatis aliis, tum superioris tum inferioris conditionis hominibus, suscipitur, noster vero ipse invitus regnum occupavit.

§. 4. Sed mittamus ista, cum sensus inscriptionis ex vocabulis satis liqueat, & conferamus nos ad ipsam tractationem, cuius periodi breves admodum, primo *Subjectum* Saulem; deinde *Objectum* Regnum nempe Israeliticum; post *Causas* varias; tandem *Aetum* cum *Adjunctis* considerabunt.

§. 5. *Subj.* Etum ergo, cui regia dignitas conferenda est *Saul*, Hebraice שָׁׁאֵל, quod nomen originem hebraicam a R. לְנָשׁ agnoscit, & significat petitum, vel postulatum a): forsitan quia parentes ejus diu οὐτενοι fuerint, & filium hunc a Deo precibus contenterint: Judæi enim sequentes Dei exemplum, liberis suis plerumque imponebant nomina σημαντικὰ, hinc in recordationem gratiæ Dei nomine isto insignire voluerunt. Si Cabbalistas sequeremur, pro commodato & ad breve tempus permanente veniret b): quam significationem, quia perverse admodum explicant & applicant, nostram non facimus.

a) Vid. Pasoris *Onomast.* sub b. 6. p. m. 66. b) conf. Dn. D. Carpzovii nostri animad. & not. ad B. Schick. *jus Regium* p. 57.)

§. 6. Alias non primum hoc nomine signarunt, celebre enim & satis notum erat. Siquidem multo ante ipsum Rex quidam Endomæus ita vocatus c), & integræ familie ex tribu Simon *Saulitiae* dictæ, a Saule quodam descenderunt d). Noster est Benjaminita, *Rex nondum constitutus, sed vitam privatam agens.*

c) Gen XXXVI. 37. 1. Paral. 1, 48. 49. d) Num. XXVI. 13.

§. 7. In Alkurano corrupto nomine *Taluth* vocari, autores nobis sunt B. Schickardus e) & Hottingerus f): quod licet per longurionem explicit (utpote a corporis proceritate quoque commendatur g); derivationis tamen rationem ipsi quoque Arabes ignorant b).

e) Tr.

e) *Tr. de J. R. c. i. Th. 3. p. 59.* f) *Histor Orient. L. I. c. 3. p. m. 112.* g) *I. Sam. X. 23. 24.* h) *Dn. D. Carpz. l. c. p. 59.*

§ 8. *Patriam ejus Gabaam* (Hebraice plerumque גְּבָעָה quandoque גְּבָעַת i) vocatur) fuisse volunt l); urbem in tribu Benjamin sitam, infamem maxime & exiguum, ob beluinos istos homines, qui fœminam Bethlehemiticam, concubinam viri cuiusdam Levitici, ex cœca libidine ad mortem usque stupraran t m): & bellum a reliquis tribubus ob flagitium hoc Benjamitis illatum n), quo adeo ad exiguitatem redacti, ut nomen tribus inter reliquas vix merebantur.

i) *Esa. X. 29. Et c. l)* D. Joh. Schmid. *Comment. in Hof. V. 8. p. 261. conf. I. Sam. X. 26. Bissel. Ruin. illustr. Dec. III. Ruin. I. p. 28.* m) *Jud. XIX. 25. 26 c. XL. 5.* n) *Jud. XX. 35.*

§. 9. *Parens ejus vocatur hebraice שִׁק,* aliqui scribunt *Cis;* qui, licet ex tribu hac omnium obscurissima & ignominiosa o) oriundus, nihil tamen quicquam cum obscuritate ista & ignominia commercii habuit; quin potius cum vita probitate & honestate ita commutavit, ut ab omnibus merito laudaretur p). Præterea non tantum animi, sed & corporis viribus memorabilis fuit. q)

o) *Hier. Weller. ad I. Sam. IX.* p) *Josephus Ant. Jud. L. VI. c. 5. f. 151.* q) *Bissel. l. c. p. 28.*

§. 10. *Matris nomen a scriptore sacro quidem reticetur, attamen eam nihil quicquam a Mariti probitate, omniumque virtutum integeritate aberrasse, nobis persuademus.* Præprimis rei œconomicæ curam, quantum par erat, gessisse autumamus; quæ si ab alterutro saltim conjugum negligatur, & segnius tractetur; facultates, quæ hic concretæ magis, magisque auctæ, ut plurimum decrescere solent.

§. 11. *Majores longa serie enumerare velle, supervacaneum duco, cum ex scriptura sacra constet, illum nobili & celeberrimæ prosapiæ ortum debere, viro nempe Jemini Apiah r) a quo ad nostrum usque familia ista integre conservata fuit.*

r) *I. Sam. IX. 1. 21. Et c.*

§. 12. Ab his nobilibus, pariter ac piis parentibus, recentis natus Deo per circumcisionem die octavo consecratus est: parentes quippe ritum hunc inviolabilem observasse, persuasum habemus. Hoc enim neglecto filiolum maximis corporis & animæ periculis involvissent. Neque præfixum illud a Deo tempus f) hic vel ob sa-

A 3 cerdotis,

cerdotis, aut valetudinis infantis defectum; vel ob peregrinationes diuturnas totius populi, neglectum fuisse legimus. Quanquam alias non facile exemplum pueruli octavo die circumcisi, præter Isaci in V.T. reperiatur ^{t)}; inde tamen neglectus statim diei colligi nequit.

^{s)} Gen. XVII. 10. seqq. ^{t)} Dn. Reyher Mathes. Mosaica L. IX. §. 36
p. 295.

§. 13. Magnis equidem officiis & dignitatibus illustribus parentes filium destinasse, affirmare vix audeo: Interim tamen quem a Deo postularunt, ad honorem quoque & gloriam Dei educarunt. Hinc in adolescentia & juvenili ætate, sub disciplina paterna specimen virtutum suarum non contemnenda edebat. *Pietas* ejus erga parentes & *observantia* præcipue laudanda: cum enim aliquando parentis mandatum de quærendis asinabus, molestum licet, absque mora tamen & tædio exsequeretur, continuo ejus solicitudinem de se metuebat, optando vel in momento sua præsentia eundem a mœstitia avocare.

§. 14. Commendanda nil minus *observantia* erga *Ministros Dei*, his enim se adeo modeste, ante adeptionem imperii, adeo probe exhibuit, ut nihil supra: nec quicquam contra voluntatem, aut verba illorum facere aut dicere ausus fuerit. Declaravit sane eandem consulturus Videntem (ita tum temporis prophetas vocare solebant, quod *vel per quietem species fuerit objecta*, sive theoretice, seu allegorice & figurate accipienda; *vel cunctu noī facti sint*, mente non emota, sed saltim elevata; *vel sine cunctis inspirati u*) anxie donum debitæ subjectionis & reverentiæ testimonium quærendo.

^{u)} Verba sunt pl. Rev. Dn. D. Joh. Ern. Pfuel. Præceptoris nostri summa cum cura colendi in *Tr. Eleæt. phys. de Magia c. II. §. 3. p. 17.*

§. 15. Hæc namque omnia ex singulari quadam *animi demissione* & *modestia* proficiscebantur: modestissime enim semper & ubique de se sentiebat, nunquam animum elatum & magna affectantem præ se ferendo; sed potius honores, quibus se indignum putabat, omni nisu declinando & avertendo: ne forsitan, ascendens in altum, graviori lapsu rueret.

§. 16. *Forma*, quæ in ipso conspicienda erat *externa*, non multum

tum a virtutum tramite aberrabat. Anima namque pulchra, ut solet, in corpore pulchro domicilio non vulgari habitabat. Decora ejus facies, corpus procerum, & alia quæ oculos omnium animosque trahunt, ostendebant superflue, ipsum non sibi, sed populo natum. Verbo: talis erat, qualem & gentes a regibus requirunt: plerique enim gentes in electione Regum unice respiciunt eos, quos specie egregia & eximia natura donavit. a) id quod exempla undique cumulata confirmare possunt. b).

a) Curt. L. VI. s. n. 29. b) conf. interim Schönb. Polit.

§. 17. Vitæ torique sociam sibi elegisse, antequam ipse Rex electus, multi sunt, qui affirmant, sed non nisi unicum AHINOAM, Ahimaaz filiam. Quis vero hic fuerit, cum familia ejus & res gestæ in sacris reticeantur, definire neutiquam possumus. Unica hac in statu suo privato contentus erat, etiamsi alias egregiarum formarum admiratorem & affectatorem citius credas, quam censorem aut contemptorem c).

c) conf. Drus. ad Difficil. loca Sam. c. IX.

§. 18. De Conditione vitæ alii hoc, alii aliud sentiunt. Neutiquam autem nugis Alkurani assentire possumus, qui, ut Hottingerus refert d), ipsum pauperem, villicum aut coriarium fuisse fabulatur; quin potius ex dcmo nobili atque opulenta natum cum Mendoza e), Drusio f) aliisque sentimus: Nam parens & ipse, quamvis agasones fuerint, nostris tamen Equisonibus omnino comparandi videntur g) qui plerumque ditiores esse solent.

d) Hist. orient. L. I. c. 3 p. 113. e) ad 1. Sam IX. 2. f) l. cit. g) Schick. J. R. p. 58.

§. 19. Objectum jam, regnum nempe Israeliticum, brevibus considerandum venit, ubi non adeo operosi erimus in consarcinanda terræ descriptione ab ejus fertilitate, aeris temperie, montibus, fluminibus, urbibus, aliisque Oratorum fontibus; siquidem undiquaque & ingentia volumina, in quibus ad nauseam terra ista, secundum hæc argumenta descripta extant; & scopus quoque nostre id non exigit. Sufficiet ex iis terram nominasse, situmque ejusdem ostendisse, ne aliud faciendo plane nihil fecisse videamur.

§. 20. Terræ igitur, cuius princeps Saul denominandus erat, nomen est vel Chanaan, ob incolam Chanaanum, filium Cham, nepotem Noachi; vel Palæstina, a Philistinis, qui eam inhabitaverant; vel

terra



*terra septem gentium, a familiis septem b); vel terra promissionis,
quod Israelitarum progenitoribus divinitus promissa esset.*

b) Deut. VII. 1.

§. 21. Regiones adjacentes sunt ab Oriente (respectu Hierosolymæ, medium locum ob celebritatem & quasi centrum obtinentis) partim Cœle-Syria, quæ Arabibus Algaur, Hebræis Amuca, Syris Amyca dicebatur *i*); Arabiæ tripartitæ montes partim. Ad meridiem regiones sunt *Edom* seu Idumæa, in qua montes Seir & portus Eziongeber, atque Elath, *Egyptus & Ethiopia*, quæ magnam Arabiæ & Africæ supra Ægyptum partem complectitur. Occidentales provinciæ sunt Javan seu Jonia & universæ Græcorum in Asia, Græcia, Italia & Gallia nationes. Versus Septentrionem sequitur Tzor seu Tyrus (unde Syriæ nomen deductum existimat Bochartus *l*) Tzoba, Damascus & Mesopotamia *m*).

*i) Teste Sam. Bocharto in Chanaan L. I. c. 1. p. 366. l) Phaleg. L. VI. c. 34. p. 341. m) Vid. plura ap. Hornium Geograph. sacr. Et prof. *** a. Bissel. Topothes. terræ S. c. II p. 13. 14.*

§. 22. Mores item incolarum accurate descripturo non modo difficile, sed & impossibile, imo tædiosum esset; cum non omnium iidem, nec etiam semper. Communiter tamen superstitionis & credulitatis, arrogantiarum, pertinaciæ aliorumque vitiorum accusantur: sed hæc quia in uno atque altero reperiuntur, omnibus attribui haut queunt.

§. 23. Statum potius Reipublicæ considerabimus: hoc enim hic præprimis requiritur: quo cognito, de multis aliis felicius judicium nostrum interponere possumus. Considerari hic potest vel respectu tranquillitatis publicæ, vel respectu formæ Reipublicæ, ejusque administrationis.

§. 24. Priorem non possumus non pacatum vocare; Samuel quippe omnes Israelitarum hostes ita ad angustias redegerat, ut nemmo quidquam hostilitatis adversus eos tentare auderet: Nam strenuus miles superiores semper obtinebat partes, victoriamque reportabat quia manus Domini continuo cum ipso erat *n*).

n) 1. Sam. VII. 13.

§. 25. Nec ulli quoque tumultus inter Israelitas ipsos vigebant, sed quilibet sua sorte contentus, amicissime alteri cohabitabat, sicque terror adjacentium populorum gravior & Reipublicæ status

status felicior erat. Non enim omnium animi instar Cretensium ad gratiam redeunt, seque adversus hostes communes consociant. Cupiditas vindictæ non raro unamquamque occasionem animadvertisit, sive etiam cum detrimento Reipublicæ fiat.

§. 26. Forma Reipublicæ tum temporis *extraordinaria* videtur, ut propterea vix ad species Rerumpublicarum ab Aristotele recentiarum reduci possit. Josephus o) eam vocat *Theocratiam* p) cui assentiant alii, Rabbini q) & Philosophi. Deus enim peculiariter populo huic omnes præscriperat leges civiles, secundum quas vivere tenebantur, quæque alios non obligabant r). Et si quis contra istas quid commisisset, secundum leges hasce & a Deo præscriptum puniendi modum, puniebatur. Peculiari quoque modo præsentiam suam Deus ipsis largiebatur, hinc de ejus voluntate citius ipsis constare poterat. Et ut multa paucis comprehendam: Ipsos nihil quicquam inconsulto Deo agere debuisse, sed analysin omnium negotiorum publicorum in Deum factam esse constat s).

o) L. II. contra Appion. p) Vid. B. Thomasi philosoph. pr. T. 42. q) Schick. f. R. p. 3. r) H. Gröt. de J. B. & P. L. I. c. 1. §. 16. p. m. 78. s) conf. Boxhornii Instit. Pol. L. II. c. 1. §. 6. p. 376.

§. 27. Interim tamen largimur, Magnates & Proceres sæpius se congregasse, deque Reipublicæ salute consilia foviisse; quod & ultimis ante regem electum temporibus factum, aperte constat. Ex quibus aliquis autoritatem judicum in dubium vocare posset, quod nimirum eorum placita ultra sphæram consensus magnatum extensa non fuerint, & judicem os quasi collegii tantum fuisse, atq; negotia suscepturi publica, nomine omnium exsequi debuisse, etiam si contra ipsum judicem essent affecta.

§. 28. Sed finem propositum consiliis suis non semper obtinere poterant, præprimis quando infelicem suscepti negotii progressum ex Oraculo divino futurum didicerant, ubi necessario a cœptis desistendum erat, ne damnum Reipublicæ afferrent, Deumque alicujus mendacii impie & tacite arguerent. Idem fecerunt Ethnici, bella aut alia negotia publica suscepturi, qui informati ex oraculo suo circa eventum, vel suscipiebant illa negotia, vel desistebant a cœptis, vel negligebant aut non affectabant ea.

§. 29. Leges autem secundum quas Israelitæ vivere promiserant, normam administrationis fuisse, afferere non vereor: quæ et-

iam quo juri naturæ, quod immutabile, & nec a Deo mutari potest,
r) convenientiores, eo rectius secundum eas Respublica administratur; sive illæ iam sint a Deo sive ab hominibus consignatae modo receptæ & confirmatæ sint. Illam vero leges divinæ præ reliquis prærogativam habent, quod tutius absque probatione ipsis fides haberi possit, non contra jus naturæ esse lata: Deus enim, qui injustus nunquam est, quicquam adversus jus illud præcipere potest ^{x)}). Obligare autem alios non poterant, quia ab aliis non receptæ erant

r) H. Grot. de J. B. & P. L. I. c. 1. § 10. p. 4. ^{x)} H. Grot. L. c. § 17. p. 9.

§. 30. Peculiaris sane erat gratia, quam Deus Israelius largitus fuerat, quod hostibus instantibus, auxilii divini certiores, eosdem vel aggredi, vel commode aggredi; ditionum suarum quoque terminos extensuri, opportunum tempus expectare poterant, quo neglecto improvisi saepe oppressi sunt. Nec tamen hæc gratia tempore Regum cessit, ubi his saepissime occasionses belli indicatæ fuerunt. Manet itaque forma Reipublicæ Theocratica, quia difficulter ad ordinariam refertur.

§. 31. Non immerito inde admiramur, cur Theocratiæ istius, atque adeo libertatis suæ pertæsi, Regem sibi expetierint? Causas ast quas prætenderunt brevibus considerabimus: sine ulla enim ratione ulloque fundamento periculosa illa mutatio, præcipue a Reipublicæ incrementa quærentibus, in eadem suscipi vix potuit.

§. 32. Primum pro mutanda ista forma argumentum desumptum erat ab impietate filiorum Samuelis, per contemptum ita dictorum, (quemadmodum David FILII ISAI nomen a Saule audit) qui, contra plane officii rationem, jus populo non dicebant, sed vendebant ^{x)}. Eoque ipso satis luculenter, præstantium virorum filios, multum quandoque a progenitorum moribus abesse, confirmabant.

x) Bissel. Dec. III. Ruin. I. p. 42.

§. 33. Nimirum ne contra Magistratum insurrexisse viderentur, in dubium vocant officia filiorum Samuelis, neque actu iudices esse agnoscent. Facile id fieri poterat: nam paren illos inconsulto Domino ^{y)} Reipublicæ præfecerat, quod tamen contra theocratiæ naturam; & ministrorum instar Samueli solummodo fuisse videbatur, qui controversias graviores parenti decidendas

com-



est,
hi-
ao-
re-
sis
m,
ere
re-
di-
gi-
os-
ue
uo
m-
ne-
ul-

us,
fas
im
ce a
it.
am-
to-
qui,
de-
ios,
na-

en-
ju-
llos
ntra
odo
das
om-

committebant; ideoque ex propria autoritate lites omnes dirimere non poterant: & judicium tandem numerus præter consuetudinem auctus erat.

y) Micræl. H.E. L. I. Sect. II. qu. 22.

§. 34. Sed uti consequentia argumenti hujus, fidem non servat, ita etiam seniores a seditionis crimine se vix liberare poterunt: Nam nihilominus peccarunt in Magistratum, cui obedire etiam impius, lex divina præcipit. Samueli quoque judici, crimen unum alterumque affingunt, partim domesticum, pravam liberorum educationem; publicum partim, scelerum conniventiam. Sed ab utroque facile absolvendus: nam filiorum nequitia educationi non semper adscribenda, cum pii parentes quicquid liberis conducat, accersere soleant, nec scopum attingant. Ad hæc scelera ista latabant senem: extra ergo culpam erat, qui filios non præsumebat malos. Ipsis imo senioribus culpa imputanda, quod filios non detulerint ad patrem

z) Antiquit. Jud. L. VI.

§. 35. Morbus deinde Samuelis, senectutem puta (erat enim circiter 60 annorum) argumento ipsis non facile contemnendo erat. Senex es, inquiunt, adeoque officio tuo satisfacere non potes. Falsum hoc: aliud demonstrabat Regejam constituto, quo tempore insignem Reipublicæ operam præstítit. Senem esse ajunt, adeoque morti vicinum, quo defuncto, filii nequitiam suam apertius prodituri essent quam nunc, quantum possunt ob parentis autoritatem celant; Insolentia ideoque & nequitia illorum in tempore frenanda, quo a nequitia desisterent.

§. 36. Urgebant porro morem & consuetudinem reliquarum gentium, quas sibi non pares, multo minus superiores aestimabant. Quasi vero gentibus digniores non fuissent: Gentes enim destituta Rege Deo, indigebant Rege homine, nostri autem neutquam; ideoque nobiliores erant.

§. 37. Sed præcipuam fuisse causam videtur Bellum a Naas Ammonite ipsis paratum, cui Samuelem obviam ire posse non credebant: Sed debilem esse, tacite ipsi confirmant, dum vix eandem proferre audent, ideoque præter hæc, nulla de eadem memorabimus.

§. 38. His muniti rationibus, legati senem accedebent, ele-

ctionem Regis expertentes: sed ille præmissa dehortatione ab in-
considerato proposito, cum spe quæsiti acceptionis dimittit: Impi-
um enim negotium & ipsa reprehensione divina dignum a) vide-
bat. Gubernationem Altissimi ad auxilium humanum fugiendo,
aspernabantur. Libertatem, quæ illis haud ignota, neque ejus ita
impatientes, ut Armenii b), Cappadoces c), Asiatici Græci d), &
alii, respuebant; & servitutis jugum ferre nequibant, quin potius
ab Ægyptiaco liberati, quotannis diem solenniter in memoriam
liberationis istius celebrabant.

a) 1. Sam. VIII. 6. b) Tacit. Annal. L. XIII. 34. c) Justin. L. XXXVIII. c. 2.
d) M. Acilius Cos. Rom. ap. Liv. L. XXXVI. 17.

§. 39. Ast cœlo terræque dicta erant omnia, quæcunque Sa-
muel excipiebat, nec quenquam ullo argumento flectere poterat:
pulchrum enim iis videbatur conspicere hominem auratum & gemma-
tum, splendide habitantem & epulantem, procedentem cum ingenti Sa-
tellitio καὶ μετὰ πολλῆς Φαντασίας, inquit H. Grotius e).

e) ad 1. Sam VIII. 19. ap. Calov. in Bibl. Illustr. P. I. f. 747.

§. 40. Interim dum hæc aguntur Saul parentis asinas a con-
sueto domicilo aberrantes querit; & cum per vestigiasset vias ne-
moraque omnia, asinas quidem non invenit, sed Regnum: nec se-
cucus ac Abdolonymus f) steriles herbas eligens, ut hortum repur-
garet, Rex salutatus est.

f) Curt. L. IV. c. 1.

§. 41. Non tamen cum Abdolonymo Samueli illud ipsi an-
nuncianti respondet cunctando: satisne sanus esset, qui tam pro-
terve sibi illuderet g)? (quanquam dicta non parum suspecta vi-
derentur) sed se indignum munere isto ultro fatetur, & suam fami-
liam tanquam exilem considerandam proponit.

g) Curt loc. cit.

§. 42. Tandem paucos post dies Samuel universum popu-
lum, Regem ex illo electurus, convocabat. Ut vero se ab omni sus-
picione liberaret; dissidiis ex tribuum æqualitate orturis præveni-
ret; & præconceptas de tribu Judæ opiniones b) populo excute-
ret, sorti rem committit quæ quia a Deo dirigitur i) minus fallibi-
lis esse poterat.

b) conf. Gen. XLIX. 10. i) Prov. XVI. 33.

§. 43. Quamvis autem R. Abarbenel fortitionem istam con-
firma-

firmationem eorum, quæ sacerdos ex Urim & Thummim populo prædixerat, solummodo fuisse afferat: & R. David Kimchi fortis plane mentionem non faciat; sed simpliciter Saul per Urim & Thummim deprehensum doceat k): nos tamen præeunte S. Scriptura certo ad indicandum Regem fuisse adhibitam statuimus.

k) conf. Dn. D. Carpzovii *Animad. & not. Sch. J. R.* p. 18.

§. 44. Sortitio ista quomodo peracta sit ex Raschi discimus, qui ad I. Sam. X. 21. hæc annotavit: *Inscripta erant eorum (Israelitarum sc.) nomina schedis, quas in capsula reponebant* (alii suspicantur, Samuelem conscripta nomina in sinum, sive suum, sive proximi cuiusdam probatæ virtutis viri conjectisse l), *atque tunc propheta immittebat manum & extrahebat schedam unicam*, quam nomine Saulis signatam conspiciebant m). Adeoque sortitio ista non *localis* ubi omnes personæ præsentes juxta tribus in certas classes collocatae; sed *descriptiva* erat, ubi cognationum nomina, etiam absentium, schedulis inscripta, in capsula vel urna, vel gremio abscondita erant & postmodum extrahebantur.

l) Jac. Salianus *Epit. fusior. A. 2969 n. 4. ap. Bissel. Dec. III. p. 73.* m) Dn. D. Carpz. l. cit.

§. 45. Tandem Saulem sors deprehendit, hominem iuxta sententiam *Judaorum* Regiæ dignitatis indignum: nam ab hoc honore, præter reliquos etiam agasones in Talmude excludunt n); & *Alkurani* qui, quod esset Benjaminita, regnum ad illum non pertinuisse docet o).

n) Schick. *J. R.* p. 52. 54. o) Hotting *Histor. Orient. L. I. c. 3* p. 113.

§. 46. Atque hic erat modus *adeptionis Regni*, qui *respectu Dei* per *Electiōnēm* (hinc Saul electus Dei p) dicitur *respectu populi* per sortitionem fiebat. Et quamvis Saul electus a populo dicatur q); optime tamen hæc electio de forma *Reipublicæ*, ita ut concretum pro abstracto positum, ipsum Regnum denotet, intelligi poterit.

p) I. Sam. X. 24. q) ib. c. XII. 13. coll. c. VI. I. 18.

§. 47. Modum vero hunc legitimum fuisse etiam Alkurus vult, quando *Angelos in confirmationem electionis Saulis, arcam fœderis e cœlo attulisse* refert; quemadmodum hoc B. Schickardus ex eo, sed ut nugas, annotavit r), & merito quidem, cum dubium sit, an *Judæi*, studiosi alias fabularum collectores s), hanc attellanam recenseant.

r) l. cit. p. 59. s) Hotting. *Enneas Dissert. philol. Theol. D.I.* p. 12.

§. 48. Rectius itaque *confirmatio hujus sortis* ex antecedente unctione & subsecuta inauguratione colligitur. Hęc, uti omniumferme Regum a sacro ordine initium cępit, ut nimirum reverentia Deo & religioni exhiberetur t).

t) Cl. Beccan *De Dignit. Illustr. Dissert. IV. c.I.* § 2. p 81.

§. 49. *Unctio* item peragebatur a Propheta divini consilii secreto interprete. Quod officium regulariter summi sacerdotis erat, teste Alphonso Tostato u); sed quia dubius Regni administrator, & ex ignominiosa tribu natus, ad Prophetam munus hoc devolutum est x).

u) *Comment ad L.I. Reg. Sam. X q.2.* x) M Colbius in *Dissertat. supra Ps. XLV* 8. §. 78. p 55. 56.

§. 50. Erat autem ista tessera divini spiritus ac interiorem illum spiritus affluentiam in novo Rege designabat y), eidemque ut cum Cunæo z) loquar, celsitudinem quandam divinam & majestatem addebat, sacro-sanctus in terris ut esset & commercia cum Numine haberet.

y) M. Colbius loco cit. §. 86. p. 63. z) *De R. H.L. I. c. 14.*

§. 51. *Oleum*, quo noster unctus, non fuisse unguentum sacrum, seu oleum unctionis Exod. XXX, 22-25. descriptum: sed oleum Balsami, quod instar aquæ vestes non polluebat a), quidam volunt; quia illo soli Davidici Reges inuncti creduntur b). Verum enim vero Samuelem oleum sacrum adhibuisse ex 1. Sam. X, 1.2 coll. cum aliis locis, ubi de unctione Regum agitur, satis constat c). Quod autem non in cornu, sed in lenticula a Samuele contentum fuerit, forsitan absque necessitate observarunt.

a) conf. Drut. *Difficil. loca Sam. X. 1. f. 493.* b) Schind. *Lex R. נס Schick. l. c. p 79.* c) Dn. D. A. Pfeiffer *Antiquit. Ebraicarum c. XXVIII. §. 2*

§. 52. *Quomodo* vero hoc oleum capiti Saulis infuderit, iterum Hebræorum Magistris credere tenemur, qui observante Seldeno d), Schickardo e), Cunæo f), aliisque, Reges ad differentiam Pontificum in formam coronæ circa caput, hos vero informam crucis supra caput, illitos fuisse, scribunt.

d) *De success in Pontif. L. II. c. 9. p. 242. 243.* e) loc. cit. p. 75. f) *de R. H.L. I.*

§. 53. *Locum unctionis* fuisse RAMATH cum B. Franzio g) statuimus, ibi enim erat domicilium Samuelis h), ibi quoque Saul ipsum allocu-

allocutus est *i*), & ibi Samuel altare ædificaverat *l*). Quamvis atque
tem Judæi, in specie R. Lipmannus *m*), urbem Silo, occasione di-
cti Gen XLIX. 10. indicent *n*), id tamen absque ullo Scripturæ
fundamento, nisi plane illa adversante, fit.

*g) Schol. Sacrif. Disp. XI §. 64. p. 309. h) 1 Sam. VII. 17. c VIII. 4. i) loc. cit.
c. IX. 4 l) c. VII. 17. m) ap. Dn. D. Pfeiffer. Dub Vexat. Script.
p. 203. & Exercitat. VI. quæ est de Schilob. §. 14. n) Franz. l.c. §. 63.
p. 308.*

§. 54. Pari itidem probationis defectu laborat illorum asser-
tio, qui ex unico Salomonis ad fontem deducti exemplo, infirma
plane conjectura colligunt: omnes Reges communiter, adeoque
Saulem, juxta fontem fuisse unctos *n*); nam Salomon ob loci forsan
commoditatem ibi unctus *o*); vel boni ominis gratia, ad denotan-
dam bonam administrationem, quemadmodum Abimelecho ex
auspicio annosæ ac diu virentis arboris *p*), perennitatem novo Re-
gi vovebant *q*).

*n) conf. Lensden. Philol. Hebr. mixt. Dissert. XXV §. 8. f. 166. o) Dn. D.
Carpz l.c. p. 71. p) Jud. IX. 6. q) M. VVilke Dissert. de Vua
Salomonis §. 33. VVitteb. anno 1655. hab.*

§. 55. Unctionem excipiebat osculum, quod Samuel cum Saules solus,
huic vel ex singulari in regē amore; vel ex reverentia; vel ad deno-
tandam subjectionē & suam & totius populi *r*) exhibuit. Neque hoc
a moribus gentium discrepat, ita enim Persas novum suum Regem,
quamvis post votivam acclamationem, osculari referunt *s*). Alias
nunquam post unctionem Regi Hebræorum infixum, observavimus.

*r) Fessel. Adversar. Sacr. L. III. c. 7. §. 11. p. 286. s) Olear. Itiner. Pers. L. V. c. 29.
p. 633.*

§. 56. An vero os, an aliud membrum osculatus fuerit, diver-
sæ sunt sententiae. H. Grotius *t*) ait: Samuel ut futuri Regis manum
osculatus est. Ast si secundum regulam Aben-Esræ (vel R. Mose
Ben. Nachman *u*), lis esset componenda; sequeretur ipsum os, non
aliud membrum osculatum fuisse, ita enim ille: Verbum פָשׁוּ si cum
Accusativo nude construatur, (~~לְפָשׁוּ~~) significat osculari in os: at
cum לְaliud membrum v. g. manus ut apud Polonos, Muscovitas,
(x) & alios; humeros & genua, quod faciunt Turcæ (y): pollices, more
Neapolitanorum *z*): pedes, juxta consuetudinem Persarum tum
veterum, a) tum recentiorum *b*), aliaq; membra: sed hanc regulam
rejicit, qui eam citat, Dilherrus in Annotat. ad Cant. Cant. p. 5.

t) ad



t) ad 1. Sam. X. 1. ap. Calob. B. Ill p. 749. u) conf. Buxtorff. in Lex. Chaldaea. Talm. Rabbin. sub. b. 6. f. 1405. x) Olear. Itin. Mosc. L. III. c. 13. p. 247. y) ex Zenob. Cent. V. proverb. 25. Zwingero Vol. I. Theat. V. H. L. III. f. 352. Kempius Tr. de Osculis. D. IX. §. 9. seqq. z) Camerar. Hor. subcif. Cent. I. c. 6. p. 56. a) Fessel. ex Xenophonte l. cit. b) Olear. L. cit. L. V. p. 633:

§ 57. Circa Inaugurationem, actum illum solennem, quo regia dignitas non quidem initia sumit, quaquaversum tamen patefit, cum antea tectior esset c); notamus primo locum, qui erat Maphat, civitas Benjamin d), quam dirutam Asa postea reparavit e). Celebris alias locus, ob comitia Israelitarum, qui ad decernendum negotia publica convenerant; & alios conventus sacros: publicæ enim hic precatio[n]es celebrabantur f). Ideoque & huic negotio exequendo conveniens.

c) Beaman. de Dignit. Illustr. p. 81. d) Jos. XIII. 26. e) 1. Reg. XV. 22. f) 1. Sam. VII. 6.

§. 58. Circa Clinodiorum, ut vocant, collationem aliosque ritus exhibitos pauca annotata invenire licuit. Attamen notum est, nostris non modo; sed & antiquis temporibus, certis quibusdam usos fuisse ornamentis, quæ, quia plerumque pro varietate circumstantiarum variant, accurate describi nequeunt.

§. 59. Solet alias Coronatio in specie ex præcipuis inaugurationis ceremoniis esse, an vero hic neglecta fuerit, negare non audeo. Legimus enim Saulem nostrum Coronam (licet vox Hebraica נסך commode per Diadema explicari possit, quod Dn. Beamanus g) vult, nobis tamen hic perinde est, quacunque significacione accipiatur, quia Diademata coronarum loco usurparunt in bello adversus Philistinos gessisse h); ideoque non plane ignota. Et fortassis successores, majorum exemplum secuti, coronationem ab hoc tempore derivarunt, sic enim Joasi in templo coronatum legimus i).

g) de Dignit. Ill. Diff. IV. c. 3. §. 1. p. 98. h) 2. Sam. I. 10. i) 2 Reg. XI. 12. 14. 2. Paral. XXIII. 11.

§. 60. Circa Sceptri collationem nil minus hæsitamus, res enim est solida confirmatione carens. Si vero quis ex continua hastæ gestatione (istas enim sceptrorum loca implevisse, docet nos Justinus, quando ait: per ea tempora Reges hastas pro Diademate habebant,

bebant, quas græci sceptra dixerunt i) aliquid colligere vellit, pro lubitu faciat; nos enim non adeo dissentientes habebit.

i) Justin. L. XLIII. 3.

§. 61. Certiores autem multo affirmamus: Ipsum post sortitionem factam in conspectum universi populi collocatum & a Prophetā brevi ac elegantiissima oratione commendatum fuisse: populumque post dictam, Regi seros annos, faustaque omnia, inter buccinuarum ac fistularum concentum (ut creditur) solenni ista formula: VIVAT REX! appræcatum fuisse; hisque ipsis fidem obedientiæ ac subjectionis dedit.

§ 62. Et quemadmodum alias judices consulturi, dona secum afferre solebant, ut gratiam sibi conciliarent, reverentiamque suam contestarentur: ita etiam hic, secundum morem gentium v.g. Persarum, veterum ^{l)} & recentiorum ^{m)}, Parthorum ⁿ⁾, aliarumque, dona sua populus in gratulationis & lætitiae, itemque subjectionis signum novo Regi afferebat.

l) Cœl. Rhodig XIII. 16. m) Olear. Itin. Pers. L. V. c. 29. f. 633. n) Senec. Epist. XVII.

§. 63. Sed ut solet: omnes malevolorum dentes neque privatus homo effugere potest, quanto minus princeps, qui vel ob dignitatem, vel potestatem, plerisque est invisi: magis ob defectus, si qui in illo reperiuntur. Abdolonymi humilitatem inopiamque ditissimus quisque apud amicos Alexandri criminabatur o). Nec Rex ille, quem Lydii ex officina fabri plaustratii vocabant, sine probro vivere poterat. Noster quod esset plebeius, citius convitiis atque obtrectationibus aliorum erat obnoxius: nam præter denegationem donorum, pessima quæque de ipso loquebantur, obtendentes exiguitatem ejus & juvandi impotentiam.

o) Curt. L. IV. c. 1. p) ex Heraclid. Keckerm. Diss. polit. special. extraord. II. §. 3. p. 34.

§. 64. Contemptus autem iste vitio non carebat: Saul enim cui Majestas jam collata, ob defectus, qui in eo deprehendebantur (qui tamen tanti non erant) non poterat contemni, nisi simul character ejus indelebilis contemneretur. Ad hæc contemptus hic indignationi junctus, quæ semper resistendi propositum involvit: Sed quid contemtoribus acciderit infra videbimus. cap. II. §. 37.

§. 65. Tandem, adhibitis omnibus enumeratis ceremoniis,

C

splen-

splendidus ipsum exercitus domum comitabatur: reliquorū autem quilibet habitaculum suum petebat. Sicque Reipublicæ pristina forma abrogata, judices emeriti & novus Rex constitutus erat.

§. 66. Quoto autem Mundi anno hæc quæcunque dicta contigerint, dissensus auctorum vix numerabilis, eorumque speciales hypotheses, determinandum non permittunt. *Calvinius* Annū M. 2875. ante Chr. nat. 1073. numerat q): Sed *B. Calovius* his, 63. annos adjicit & A.M. 2938. constituit, exitus annum 425. r). Ab hoc non multum aberrat *D. Joh. Cluverus*, qui annum exitus Regiminis Saulis facit 2950, ast quia hujus Regimen cum Samuelis conjungit, certum denominare, nec nos cum ipso possumus s). *B. Ar. Montanus* Saulem Regem electum fuisse scribit sub fine anni 2959. & *B. Calovii* numerum ad 21. annos auget t). His *Celeb. Wasmuthus*, vvv cv $\alpha\gamma\iota\omega\varsigma$! porro aliquot decennia adjicit. Nam ab A. M. ad templum Salomonis numerat 313 annos, his si subtrahantur 4. Anni Regiminis Salomonis & 40. Regiminis Davidis, remanet 3069 annus exitus Regiminis Saulis. Jam si denuo ab his anni Regiminis Saulis subtraherentur, insignis itidem discrepantia a *B. Calvio* deprehenderetur u). De aliorum circa hanc materiam sententiis nihil dicemus, multo minus eas ad veram vel probabilem eruendam afferemus, siquidem ex tricis his explicaturi, nos met-ipsos magis illis magisque involveremus. Interim multum *B. Wasmuthi* favere non diffitemur.

q) in opere chronol. f. 23. a. vid. *Micræl. H. E. P. III.* p.m. 559. r) *Bibl. illustr. T. I.* p. 39. s) *Comput. chronol. Regiomonti anno 1642 edit. Epoch. IV.* t) *conf. chronol. Bibliis ejusdem annexam* u) *Vid. idem in specim Apodict. de principiis & fundamentis nobis computi cyclici sect. I f. 37. 41.*

§. 67. Dubia tamen ista chronologica thematis hujus veritati parum obesse possunt, cum certitudo anni argumentum non unicum veritatis historicæ sit; quæ historiarum quidem confusionem prohibet, & naturalem nexum confirmat, neutiquam destruit. Nos proposito nostro satisfacturi, hæc relinquimus, & progredimur ad cap. seq. sit ergo

CAPIT



CAPUT II.

De

SAULIS ADMINISTRATIONE REGNI.

§. 1.

Administrationis voce plerisque politicis consueta utimur, ad Aindicandam actionum Regis juxta potestatem, vel licentiam suam ad certum finem directarum, considerationem.

§. 2. Cumque omnis actio propter finem suscipiatur & ex eo quoque recte cognoscatur; non inconveniens methodo erit, sive, quæ circa finem observatu digna sunt, lecturo ostendamus.

§. 3. Arduum sane, fateor, & difficile est, aliorum actiones astimare & absconditos fines eruere, præcipue quando virtutes cum vitiis mixtas habent; difficilius vero Regum actiones ex finibus agnoscuntur, cum corda ipsorum, Scriptura teste a), sint inscrutabilia, & nullos ferme fines propositos & fixos habere videantur. Attamen & gratum, quando ex ipsis notis, cuius monetæ sit, aliquem agnoscimus; vel ex mediis saltim, qualis finis obtineri possit, concludimus.

a) Prog. XXV. 3.

§. 4. Ast enim vero, ut hic aliquid posuisse videamur, dicimus: Saulem omnes actiones suas magis in commodum proprium & privatum quam publicum & commune direxisse. Et hoc, præter confessionem propriam, nobis media, quæ pro obtainendo hoc fine adhibuit, demonstrabunt.

§. 5. Primario nimirum & per se hunc finem intendebat: licet interim boni per accidens, & secundario inde provenirent, qualis v.g. defensio populi, expulsio & deletio Amalekitarum & alii: hit tamen formaliter non semper intendebantur. Licebit itaque nobis a maxima regiminis parte finem hunc derivare.

§. 6. Non semper fines hos intentos fuisse dicimus: adeoque negamus, Saulem continuo privatum quæsivisse commodum: novimus enim optime, ipsum teneri adhuc regni administratore, se probum admodum principem exhibuisse: ast in hac probitate, quia non diu persistit, & pravitatis cum probitate præter omnium spem communatæ occulæ initium tecerit, non possumus non omnes

ejus actiones *conjunctim* considerare, ut inexcusabilem ut facilem actionum transpositionem evitemus.

§. 7. Expressè ipse, præter intentionem & iratus, ingenium suum ad propria commoda magis quam publica acutum, prodit; cum filio in odium parentis erga Davidem innocentissimum inquirenti, hoc responsum daret: *Hic si vivit regnum tuum consistere nequit* b) Quibus aperte satis animi sui morbum prodebat, ipsum filii in Regno successionem quæsivisse, cui David maximo impedimentoo videbatur.

b) 1. Sam. XX. 31.

§. 8. Nimirum Regem se esse atque solum summam ac perpetuam, legibusque solutam incives & subditos potestatem habere sciebat; ideoque pro libitu omnia facere posse credebat, non modo finem intendendo, sed & positive & remotive promovendo.

§. 9. Ita equidem se res habebat. Non enim Rex talis erat, quales Gen. XIV, 3. 4. descripti, qui ab alio Rege superiore dependebant, & rebellium nomen mereri poterant; aut quales palestini Reguli c) impotentes, multi in parva regione: sed qui vel Regis Regum nomine venire poterat, quali titulo Nebucadnezar a Daniele Propheta insigniebatur d): quem Tigranes Armeniæ quondam Rex a Lucullo (a quo postmodum bello victus e) avidissime desiderabat f).

c) Jos. XII. d) Dan. II. 37. e) Justinus L. XL. 2. f) Strabo in fine L. XI. Appian. p. 118. conf. Thysii obserbat. ad Justin. p. 451.

§. 10. Potestas porro ejus certo tempori non erat alligata, quemadmodum v.g. Ducis Genevensis duobus annis g): sed durabat ad dies vitae. Hinc semel electus neque potestate ista privari, neque etiam aliis Tyranno vel superior præfici, vel æqualis adjungi poterat.

g) Ad. Conzen. L. VII. pol. c. XIX. S. 11.

§. 11. Potestas denique ejus erat *propria*, neque ab uno aliquo, aut multis concessa, neque legibus ullis adstricta, vel civilibus, quoad forum internum & externum; vel moralibus quoad forum externum, non internum hoc est: immunis erat & a reddenda ratione commissorum peccatorum, homicidii v. g. adulterii, aliorumque vitiorum, & a pena civili; sive a nemine in jus vocari poterat. Sed

hujus potestatis cum saepius abusus occurrat, neutquam omnes actiones laudabiles erunt.

§. 12. Media, quibus pro adipiscendo fine suo privato usus ex ipsis administrationis actibus elucent, modo simulandi & dissimulandi nubecula, sacra alias Pseudo-Politicorum anchora b) removeatur. Actus autem illi commode in Togatos & Sagatos dispisci poterunt sive quid tempore pacis domi, & quid in bello gesserit; his enim duobus membris totum absolvi posse negotium existimamus.

b) conf. Pelleri polit. scelerat. Impugn. p. 245.

§. 13. Administratio autem Togata, fuit vel publica, ubi curam ejus circa personas extra domum regiam degentes, ut E'res, quae itidem non ad aulam spectant, considerare possumus; vel privata, quae curam circa seipsum, liberos, ministros, domum suam Regiam animadvertis.

§. 14. Subditi ergo hic se primum sistunt, qui vel res sacras vel profanas tractant: sive sunt vel Ecclesiastici, quibus annumeramus Prophetas, sacerdotes, horumque filios; vel Politici, reliqui.

§. 15. Propheta Samuel equidem ab initio Regiminis Regi gratus acceptusque erat: Verum quia peccata ejus commissa juxta severum Dei mandatum graviter reprehenderet, sensim magis magisque contemnebatur; adeo, ut ultimis temporibus, Rex negotium suscepturnus publicum, ipsum non amplius ad consulendum Deum accenseret; sed ex sacerdotum ordine alium adhiberet, qui pro ipsis nutu & arbitrio, aut consuleret Dominum aut à negotio hoc sacro desisteret i).

i) 1. Sam. XIV. 19.

§. 16. Nemo nempe molestior auribus ejus, quam Samuel redarguens peccata esse poterat: attamen huic mortem Rex timidus annunciare non audebat: nam populus pœnitentiam ob expetitum regem inductus, multum venerando seni favere videbatur. Ideoque ne suo Rempublicam Rege liberarent & hunc in dominatus possessionem restituerent, circumspectione opus erat.

§. 17. Infeliores tamen Samuele multò Sacerdotes Domini horumque filii erant, qui absque ullo jure, ex mandato Regis, omnia sibi cum Caligula l) licere existimantis, trucidabantur: Solummodo quod Davidis fugam non indicassent. Miseri hi iniquis-

sime poena afficiebantur: nam nec sciebant voluntatem Regis, nec
scire poterant, ipse enim clam Davidem, ab omni facinore remo-
tissimum, perseguebatur, qui apud Abimelechum fugæ suæ ne ver-
bulo quidem mentionem fecerat.

l) Svet. in vita ejus c. 29.

§. 18. De fratribus reliquis, nihil ferme observatu dignum, nisi
forsan, quod *ad bella sapiens vocaverit*. Tyrannorum hanc notam
esse multi docent, ita enim subditorum vires enervari posse credūt,
ut ne bellum intestinum movere, aut excitatum facultatibus propri-
is alere possint *m*): (quamvis Tyranni quidam imbelles subditos li-
bentius habeant, ne suis ducibus in militari arte Rege superioribus,
adhæreant, damnaque afferant *n*). Sed enim vero noster hanc vix
meretur, qui equidem bella gessit: ast in propriorum plerumque
subditorum emolummentum. Tale primum & ultimum, tale quoq;
contra Philistinos, quorum Dux Goliathus, & alia

m) vid. præ reliquis Schönborn. polit. L.II, c.38. §.9. p.m. 175. n) Zevecot. ad Flor. p. 180.

§. 19. Inexcusabile erat *odium ejus erga Gibeonitas* (nam cura
Regis circa hos, observata eadem circa fratres consideranda est) &
inde orta horum *ejectio & interemptio*. Foedus enim Josuæ cum
ipsis pactum, etiam Saulem & omnes posteros Reipublicæ Israëli-
ticæ administratores obligabat. Ideo quippe vitis ipsorum parci-
tum fuit, quo & subsequentibus temporibus tuti inter Israëlitas vi-
vere possent. Promissio itaque ipsa, uti siebat posteris Gibeonita-
rum, ita etiam obligabat successores administratores Reipublicæ.
Neque Bodini thesis *o*) hic quicquam valet, quando juramenti obli-
gationem ad personam tantum jurantem restringit: contrahentium
quippe mens non dies vitæ tantum determinabat *p*).

o) De Republ. L. V. cap. ult. p) Jos. IX. 6. 6. 7.8.15.

§. 20. Neque salutem, vel civium, vel suam juste prætendere
poterat: non enim vi&tu, amictu, aliisque ad vitæ sustentationem
facientibus Israëlitarum facultates consumebant, quin potius quo-
tidiano sudore ipsis Israelitis augebant. Quamvis etiam *suspicio*
conspiracyis cum Davide, ansam expellendi servos hosce præbere
potuerit: nam inter cives Nobe, quos interficere Döego præceperat,
Gibeonitas aliquos habitasse, admodum probabile est. Sæpe quo-

que subditi ad labores adiunguntur, ne, his intenti, tyrannicum excludant jugum, & modus hic non semper animadvertisit.

§ 21. Sed quam exitiosa vel noxia post obitum suum expulsio hæc & successori in regno, atque ipsis Israëlitis fuerit; ex fame tristionali hi experti sunt: itemque familiæ ejus: funesta suorum catastrophæ satis demonstrat. nam ex domo & familia ejus una die septem, ob facinus illud Saulis, *Deo auctore* q), laqueo suffocati leguntur r).

q) conf. H. Grot. de J. B. & P. L. II. c. XIII. n 4. §. 3. r) 2 Sam. XXI. 9.

§. 22. Ordo jam præcipit, ut & Saulis circa populi Res, curas videamus. Ubï equidem illum circa Religionem occupatum invenimus: verum an hæc cordi ipsi & curæ fuerit, brevi patescit. Equidem non vereor ipsum in catalogum Religioni Politice deditorum referre, non quidem crassorum illorum, qui Religionem inventum politicorum (impiæ) vocare non erubescunt s); item persuasionem quandam atque superstitionem pietatem esse t) inquiunt: sed qui eam non magni æstimare, ejusque gratia nulla suscipere martyria solent.

s) ex Anon. Dn. D. Rango *Histor. Syncret. part. I. c. 6. p. 167.* t) Anon. in Compend. polit. nobo c. 2.

§. 23. Inde id patet, quod Religione, sinceri alias & Deum amantis hominis nota, pro Ratione status sui ad tegendam insatiablem gloriæ cupiditatem, atque tumultus subditorum avertendos, sapissime abusus fuerit; & alias *sacra frigide tractaverit*.

§. 24. Ipse factetur, se aliquando sacrificare jussisse (manus n. propriæ operi non admovit, alias procul dubio Samuel id in specie in nostro improbabile, quemadmodum Jeroboami u) & Uria x) sacrificia sancti viri improbarunt. Nec hoc contra scripturæ stylum assero, conferant modo 2 Sam. XII. 9. Gen. XLVI. 29. in specie 1. Reg. VIII.

62. 63. Neque ob sacrificia ista rejectus, sed quia adventum Samuels præfinitum y) non expectaverat sacerdotem fortassis castrensem, ut milites in officio contineret z). Multi enim ob præsentes Philistinorum turmas metu perculti Regem reliquerant & se vel ad loca tutiora contulerant, vel ad hostes transgressi erant, nec ullus officia sua facere videbatur.

u) 1. Reg. XII. 33. c. XIII. 1. z. x) 2. Paral. XXVI. 16, 18. y) 1 Sam. X. 9. z)

1 Sam. XIII. 11.

§. 25. Regicidium ipsum ab armigero suo procuratus, nullum

lum commodius argumentum, quam a Religione desumptum inveniebat: extremo enim vitæ famæque periculo expositus, vivum hosti spolium ne se præberet, atq; illi, ut olim Agag sibi, in triumphum cederet, hoc modo armigerum alloquebatur *interface quæso me*, ne *vivus in manus incircumcisorum veniam*, & tanquam apella scurrarum convicia sustinere teneat a).

a) 1. Sam. XXXI. 4.

§. 26. Reprehensus item a Propheta ob neglectum mandatum divinum de interficienda gente Amalek universa, simili religionis prætextu se defendebat: nam Regem Agagum ad peculiare, a Propheta indicandum mortis genus reservasse dicebat; cum tamen ipsum, non nisi in gloriam suam vel aulæ suæ vita donaverat.

§. 27. Prædam quoq; ex pecoribus & aliis rebus pretiosis, *ut the sauro regio*, non combustam; sed ad aulā illustrandum conservatam, pietate excusat, ac si in sacrificia futura spolium istud reservatum fuisset: cum pecoribus enim simul alias res altari minus idoneas, minorisque attentionis excusari posse autumabat.

§. 28. Agnoscebat equidem hæc sua peccata: Sed honor & gloria omnem ipsi ad pœnitentiam viam occludebat. Interim vero ne ab impio pii deficerent milites, pœnitentia simulata Samuelem ad partes suas trahere conabatur, *vel* quo ex præsentia Prophetæ *aut* omnia probe acta, *aut* ad minimum Deum placatum esse, judicarent: *vel* etiam ne ex absentia ejusdem, quem venisse audiverant, aliquid mali milites colligerent.

§. 29. Consultationes Dei negligenter satis instituit, & nisi aliquando vel a Propheta vel a sacerdote suo castrensi monitus fuisset, nunquam consilium Dei adhibuisset: sibi enim ipsi satis sapere & copiis suis confidens, hostibus omnibus ad resistendum par esse, videbatur.

§. 30. Et quamvis Deum non nisi periculis urgentibus coleret, extra autem hunc casum honorem & vincendi cupiditatem prædominare sineret b); nihilominus *superstitiosus* erat, & ex præsentia arcæ contra jus & voluntatem Dei, ad castra, suo jussu exportatæ c), fausta quæque prosperaque ominabatur.

b.) Micræl. H. E. L. I. sect. II. q. 23. p. m. 139. c.) conf. Franz. Schola sacrific. Disp. VII. §. 49. f. 165.

§. 31. Neque fixus Tabernaculo manebat locus, occisis enim in Nobe a Saule sacerdotibus & urbe eversa, ex hac, loco alias a Phili-



Philistinis valde diffiso, ubi tum fuisse Drusio d), B. Franzio e), Francisco Ribera f) aliisque creditur, ad excelsum Gibeon, metropolin olim Hevaeorum g) ipso fortassis Saule jubente h) translatum.

d) *Difficil. loca Sam.* f. 490. e) *Schol. Sacrif. D. VII.* § 57. f. 167. & § 69 f. 170.
f) *de Templi fabrica L. I. c. 2.* g) *Franz. l. c. f. 170.* h) *Fessel, Adversar. Sacr. L. VIII. c. 7. § 8. p. 292.*

§. 32. Laudabilis attamen *Magorum & Hariolarum*, juxta mandatum divinum i) e Regno *ejectio*. *Sive* hæc ab initio Imperii; *sive* cum interfecisset Gibeonitas; *sive* cum malo agitaretur spiritu, ad placandum Deum; *sive* alio quocunque tempore & fine ab ipso suscepta: hi enim homines, *incantationibus & præstigiis* simpliciores decipiendo & a vero Dei cultu ad idolatriam vel Dæmoniolatriam abducendo, l) Reipublicæ mala multa afferebant; ita autem extirpati, nemini scandalo vivere poterant

i) *Levit. XIX. 31. c. XX. 6. 27. Deut. XVIII. 11.* conf. H. Grorius *ad 1. Sam. XXVIII. 3.* l) *Vid. Hotting. Juris hebraeorum leg. 258. p. 394.*

§. 33. Interim tamen non ex Religionis curâ inutilia & noxia ista terræ pondera ejecisse constat, quia ipse serio aliquam beneficam, quamvis clam aliis & mutatis vestibus, ad consuendum quæsivit & juramento fidem inventæ fecit, non in vitæ detrimentum, mortuum Samuel em producturam. Imo agnitus a malefica; vel ex assurgentis socio Mose, quem non provocaverat m); vel ex assurgentis apparitionis modo extraordinario, capite sursum elato n); vel ex reverentia spectri erga Regem o); vel quod probabilissimum, ex commonefactione Diaboli: nihilominus denuo ad pergendum in opere diabolico infelicem sagam instigavit, sicque nulla amplius Religio. nis cura in ipso animadversa est.

m) fabulæ sunt Judæorum ap. Varen. *Comment. ad Isa* p. II. *Or. XIV.* concl. g.
p. 340. fundamentum quærunt *Jerem. XV. 1.* n) *Hahnii Diff. de spectro Endoræo præf. D. J. E. Gerhard. § 8.* o) *Hahn. l. cit.*

§. 34. Structuras porro sacras Saulem affectasse legimus p), altare nempe: ultimas autem manus eidem non imposuisse, multi volunt; siquidem medium circa noctem inceperat, qua hostem persecui constituerat: ideoque hoc intendens illud neglexit. Multo minus super illud sacrificavit. Nec satis liquet, utrum in gloriam Dei an propriam ædificaverit: Videtur enim ipsum posteris adeptæ victoriae monumentum relinquere voluisse.

p) *1. Sam. XIV. 35.*

D

§. 35.

§. 35. Ex curis circa res profanas primariis, legum esse solet justitiae & tranquillitatis publicae. Leges Imperia parta conservant q); fortissimos autoritatis hostes, audaciam humanam & nocendi facultatem coercent & refrenant r), quo illa tutius florere possit. Harum custos fidelissimus nominari Noster uti semper volebat, ita etiam studiosissime allaborabat.

q) Plat. L. IX. de LL. r) Isid. L. V. Etym. c. 20.

§. 36. Novas equidem leges condidisse nunquam consignatum invenimus, nisi ad has edicta illa publica de ejectione Magorum & Hariolarum, quod supra laudavimus; provocationem ad militiam sub concisionis boum poena; item juramentum illud de jejunio referre velis. Istud quidem perpetuum erat: hæc autem ad breve saltim tempus populum obligabant. Attamen, ne quis contra latas a Deo & in Republica receptas peccaret, serio quandoque cavit.

§. 37. Imperium aliquando clementia & humanitate, clave illo animorum, ita temperare ausus fuit, ut odiosum Tyranni nomen facile declinare potuisset; nisi vel intempestive fontibus, ut Agago, pepercisset, vel nimis rigorose justitiae defensoris ac præsidii nomen ambiisset. Non male enim celeri sua sententia absolutoria rebelles istos homines, contemtores & calumniatores suos a furore militum liberavit & in confirmatione Imperii votum ac gratulationem ab iis exegit, cum Reipublicæ salubrius sit multos clemencia tempestiva servare, quam paucos severitate justa perdere.

§. 38. Rigor autem, in executione pœnae transgressorum legis, commendationem egregiam non semper meretur: sepe enim inconsiderate, non sine exigua tyrannici sui ingenii declaratione, aliquando ab insonantibus, ut sacerdotum filiis, easdem sumvit: & illos trucidare jussit, quorum culpa, alia ratione expiari poterat. Id quod Jonathani crudelis parentis filio accidisset; nisi seniorum suasu, ut Q. Fabius Maximius Rutilanus a Papirii t) crudelitate, liberatus fuisset.

t) Liv. L. VIII. 35. f. m. 315. H. Grot. ap. Calob. f. 751.

§. 39. Multum porro tranquillitati publicae favisse videtur, vel ex desiderio subditos in amore continendi, quo ad posteros suos Regnum a se transiret; vel ex metu, ne dissidio publico ipse in dis-

crimen



crimēn vītæ vocaretur. Civium autem commodum ex hisce curis profluentem, parum, aut non nisi pro ratione status sui, intendisse, jamjam observavimus.

§. 40. Sed quod dilabimur, cum fila Administrationis *Togatæ privatæ* prolixiora deducenda veniant. Expediemus autem nos, quando curas circa *seipsum, liberos, ministros atque domum regiam* considerabimus: ubi *prima*, corporis tum cultum & sanitatem; tum voluptates observabit.

§. 41. *Sanitatis & munditiae* ergo non raro, plerumque tempore novilunii balnea introisse Josepho u) creditur: hæc enim & ad conservandam valetudinem & ad abluendas corporis sordes primo instituta. Licet quandoque neutrum horum a magnatibus intendatur; & lotiones istæ ad luxuriam, fastumq; dirigantur, quod & noster fecisse videtur, qui in diem tertium cum familia & præcipuis ministris post ablutionem convivia celebrare solitus est.

u) *Antiquit. Judaic. L. VI. c.14. f. m. 168.*

§. 42. Nemora quoque vel *venandi gratia*, vel aliarum voluptatum ergo frequentasse ex 1.Sam.XXII, 6. colligimus. Ipsa alias venatio, modica præcipue, improbanda non videtur, quippe quæ non exiguum cum re militari, cui alias princeps merito operam dat, comparationem habet; valetudini præterea moribusque, quibus conducibilis potius & fructuosa existit, noxia esse nequit.

§. 43. Ad voluptates corporis referimus quoque eas quæ *tamen in specie sic dicto* percipiuntur; *Veneris nempe usum.* Iis non adeo deditum fuisse, sacris credimus, literis u), quæ ipsum non nisi unicam præter uxorem legitimam, concubinam sibi associasse referunt. Sed istud tantam non meretur notam, quam illorum, qui majorem concubinarum numerum alunt.

u) 2.Sam.III.7.

§. 44. *Uxor legitima* ea ipsa fuit, quam in statu privato duxerat. Hanc postmodum Davidem matrimonio sibi conjunxisse Rabbini quidam ex 2.Sam II, 17. probare conantur, aliis recte dissentientibus x): Vix enim, si superstes fuerit, credibile est veteranam illam amoris zelo correptam fuisse, aut virum rugata fronte movere potuisse. Suscepit autem ex illa filios Jonathanem, Isvvi, qui & Abinadab y) vocatur, Melchisua, & Isbosethum, qui alias Esbaan dicitur

dicitur z) *Filiae*que duas, *Merob*, & *Michol*, *Ex concubina a Ritzpha*, *filia Aja*, *filios Armoni* & *Mephiboseth*, qui tempore Davidis a *Gibeonitis suspensi* a), suscepit, plurium mentio nusquam alias facta.

a) conf. Seldeni *Uxor Hebr. b.I. c.10. p.m. 52.* y) i, *Paral. IX. 33.* z) loe. cit.
a) 2. *Sam. XXI. 8.*

§. 45. *Filios* rei militari magis, quam pietati & literis conse-
cravit, & ex mente Bodini, recte quidem, qui *summam literarum co-*
gnitionem principibus exitiosam esse scribit b). Admirabili propterea
bellicarum rerum scientia exercitus ducere poterant. Jonathan
præ reliquis animi sui vim & præstantiam in castris & præliis ostendebat: ita, ut hostium cohortes, commilitonibus paucis aggredi non veritus, maximam sæpe adversariorum stragem ediderit.

b) *de Republ. c III. c. I. n. 139.*

§. 46. Egregius ast hic bellator offensam' parentis gravissimam evitare non poterat, cum enim aliquando Davidis absentiam in quodam convivio excusasset, hasta prope ab impio parente per-
fossus fuisset, quasi contra patrem aliquid ambo molirentur, cum neutri tale quid neque per febrim, neque per somnium (ut ajunt) unquam in mentem venisset. Imo non procul aberat, quin filium adulteræ degenerem & rebellem c) vocasset, qui alio quodam plus quam parente delectaretur.

c) quid per duo ultima contumeliosa nomina indigitetur ex Hottingeri *Juris Hebr. L. 252. p. 383. discere possumus.*

§. 47. Unicus *Iboseth* tardi & languidi ingenii fuisse vide-
tur, propterea nec foris in bello fortitudinem suam; nec domi pru-
dentiam ostendit: quadraginta quippe annorum post obitum Sau-
lis erat, nec tamen quid Imperatorem idoneum deceat, didicerat. Hinc forsan in recensione filiorum Saulis d), nomen ejus reti-
cetur.

d) 1. *Sam. XIV. 49.*

§. 48. *Filiæ* autem varias induere facias scenicas ab infeli-
ce parente cogebantur: *Merob* quidem non tot vicibus ac *Michol*,
quæ personam & amantis & insidiantis & adulterantis fœminæ &
nescio quam non? repræsentare coacta fuit: Ideo enim amare
debebatur, quo ope ejus Saul insidias struere posset; sed ita amabat,
ut adulterium committeret; quo animo, Sibyllæ inquirant, nobis
nunc non vacat: Varium namque & mutabile semper animal, pu-
ella

ella censetur aulica, modo huic, modo illi favens. Quid ajo? Imo constantissimi quandoque animi est.

§. 49. Expetierat sibi nostra Michol ex singulari quodam in Davidem amore, hunc a parente per ministros suos, virum *e*): sed initio matrimonio, illum, quem ad tumulum u^eque sincere amare constituerat, vigore mandati parentis, affinitatē inter se & Davidem contractam dirimendam quārentis, odiisse; aliique sua officia unico Davidi debita p^restare cogebatur. Hoc quia fecerit, in hunc diem crimen conjugalis societatis l^esfæ, ipsis Tartaris admodum odiosum *f*), & Japanensibus capitale *g*), non extinguere poterit: Non enim a Davide divortio ejus^a erat: alias nefas fuisset, si David eam postulasset *h*). Re vera autem Phalti in uxorem data erat *i*).

e) Joseph. A. J. L. VI. c. II. §. 165. *f*) Mission. Chinens Histor. Relat. de ortu & progressu fidei orthod. in Regno Chinensi c. XX. p. 278. *g*) Mandelslo Itin. Ind. orient. L. III. f. 241. *h*) Deut. XXIV. 3. coll. Jerem. III. 1. *i*) Selden. Uxcr Ebraica L I. c. XI. p. 54. 1. Sam. XXV. 44.

§. 50. Progredimur jam ad curas circa Ministros, hosque tum in genere, tum in specie considerabimus. Non exiguum Regi *de-
cūs* est, quando multos non vulgares, sed quibus dignitas venerabilis, concessa est, in servitio alit. Imo *necessitas* id exigit: corporis enim custodes contra inimicorum technas, in recenti p^rincipue imperio, juxta Pansam & Hirtium *l*) constituendi, quo in illo felicius Respublica florere possit. De nostro referunt, ipsum p^räprimis rationem illorum, quos natura eleganti forma animoque simul exornaverat, habuisse, quo non modo splendori Aulæ regiæ, sed & securitati sui consuleret.

l) ap. Vellej. Paterc. L. II. 57.

§. 51. Grati quoque, ut decet, *nobiles* ministri erant: horum quippe gratia, animos plurimorum subditorum, familiarum ob amplitudinem, sibi devincire poterat: Hi etiam plerumque stemmatis nobilitate incitati eo allaborant, ut non modo nobiles natū dicantur, sed & sint, h.e. virtuosos & generosos se gerant, quamvis etiam Tarquiniorum ex familia aliquando nepos superbus exeat, & saepius expers terroris Achilles a Thetide Peleo nascatur. Nimium tamen videtur, quod Reges in ministerium cooptaverit. Ideo enim Agagum captivum secum & non tantum ad pompam duxisse, multi nobis non dissentientibus, volūnt.

§. 52. Laudabilis, an admirabilis affectus ejus erga *Contribu-*
les rectius vocetur, hæsito: plurimi enim Ministri ex tribu Ben-
jamin erant. Hodie nullæ citius, quam inter conterraneos dissi-
diæ oriri solent, quibus an aliquid iniquius existere possit, nunc non
inquiram. Sūspicax noster Rex nihilominus suos diligens tacite
quasi, ortum suum sibi in memoriam revocabat.

§. 53. Cæterum externa hæc sunt, quæ quandoque multum
ab interno animo aberrant. Ideoque non admiremur, quod in-
ter aulicos Saulis *assentatores* & alii levioris atque tecti pectoris
homines vixerint: quia enim Rex ipse virtutes non magni facie-
bat, facile tolerabantur. Ad hæc nunquam isti homines etiam re-
ligiosissimi Principis aulæ desunt, sicuti raro viri probi ab impia et-
iam aula remoti.

§. 54. Horum autem officia erant varia vel; enim *fortissimi*
quiue corporis ejus curam habebant, multumque comitatui
splendorem addebant. Ethorum numerus exiguis esse nec potest,
nec debet (*Absalom m* & *Adonia n*) constituerunt sibi 50 cursores):
vel *formosissimi* prope mensam officia sua porrigendo cibos, stando
a cyathis &c. faciebant, ne coporis deformis homines convivis
fastidium crearent; vel *experientissimi* Medici sanitatem Regis alio-
rumque aulicorum curabant: vel *cujuscunque conditionis viri*, sive
artifices, sive non, curam ciborum, potus, thesauri, pecorum, a-
grorum aut aliarum rerum gerebant.

m) 2. Sam. XV. 1. n) 1. Reg. I 5.

§. 55. Numerus horum ministrorum ad 3000. refertur o)
quorum mille Jonathanem observabant reliqui Regem. Non a-
omnes militiaz consecrati erant; sed ad varia officia aulica adhibe-
bantur, majorem partim dignitatem, securitatem partim concili-
andi gratia.

o) 1. Sam. XIII. 2.

§. 56. Ministri regis omnes in specie, eorumque facta recenseri
vix poterunt; cum plurimorum *nomina* non tantum; sed & *actiones*
nos lateant: Nec hoc necessum arbitramur, cum ex unico atque
altero exemplo, cognita Regis indole, naturam aulæ ejusque
vicisitudines cognoscere liceat. Nam

Com-



— — — Componitur orbis

Regis ad exemplum p) &

Mobile mutatur semper cum principe vulgus q)

p) Claud. de IV. conf. Honor: b. 299. & 300. q) ib. b. 302.

§. 57. Davidem in scenam primum tanquam vexatissimi hominis exemplum producimus. Fata ejus fortunata. Ad autam priori vice praeter spem pervenit, relinquere eandem praeter opinionem quoq; coactus. Accersebatur namq; ut saluti Regis malo spiritu agitati *Musica*, qua in arte ex perfectissimis erat r) supraque communem hominum sortem aliquid habere videbatur, consuleret: hanc enim maximam ad movendos affectus & corrigendum hominis temperamentum vim habere consiliarii aulici s) vel si placet, *Medici* t) autumabant.

r) Buxtorff. lib. Cosri p. 131. s) Buxtorff. l.c. p. 130. t) Sam. Bochart. Hieroz. p. I. L. II c. XLIV. f. m. 463.

§. 58. Sed prima felicitas non multa protrahebat intervalla. Musicus hic assentatoris cujusdam suasu & cura, ab oculis Saulis remotus, oves suas revisere cogebatur, ita ut secunda vice rediens Regi & quoad nomen, & quoad faciem, plane ignotus esset.

§. 59. Regi tum innotescerat actione non modo Regi: sed & Reipublicæ maxime utili & gloria. Philistinorum copias adversus Israelitas dux eorum *Goliathus*, Arabibus *Galuth* u) dictus, monstrum sane hominis, eduxerat; ut, robori suo nisus, monachia omnem Israelitarum a Philistinis dissensum dirimeret; ita ut cujuscunque partis certans succumberet, ea ipsa alteri subesset. Nemo autem ex universo aulis exercitu cum hoc ingentis molis homine, pugnam inire audebat: David igitur se accingens, expedita prius Regis venia humili ipsum feliciter prosternebat.

u) Hotting. Histor. orient. L. I. c. 3. f. III.

§. 61. Gratum hoc omnino Regi, qui a metu liberatus, victorias reportabat: ideoque & gratus ille, a quo hæc actio profecta. Hinc Rex, ut meritum hoc præmio quodam remuneraret, Davidi officium, non ex vulgaribus, armigeri demandabat. Ethic Davidi felicitatis aulicæ primus & ultimus gradus erat.

§. 62. David autem prudentius multo actiones suas jam instituit, quam antea; eligendo sibi nimirum, ab ipso hoc vitæ suæ aulicæ initio, cum minoris adhuc esset conditionis, unicum talem, quales

solent, qui amicorum nullitimoreni injicere student; ipsum scilicet Regis filium Jonathanem: ab hoc enim tum sui commendationem, tum excusationem, tum morum quoque regiorum pleniores cognitionem expectare poterat.

§. 62. Interim non modo Jonathanem; verum etiam universum populum Israel & Ministros aulicos Davidi plus, quam ipsi Regi favere, nemini magis ac Sauli videbatur. Hujus itaque favoris impatiens quærebat, qua ratione putatitum f. mæ suæ & imperii hostem e medio tolleret. Quamvis enim vel ex conspectu amicorum aliorum transferre potuisset, quomodo e. g. Cardin. *Trivulatum Hispaniæ Rex Mediolano Madritum evocavit x);* vel ineptum ad Regimen facere; aut visa privando, ut *Reges Insulæ Ormus* fratres solent y) & *Schach Abas Persiæ* quondam Rex fecit z); aut alio modo: metuebat tamen, vel amicos totius imperii subditos Davidis futuros; vel ultionem adversarii sui parem, aut certe non inferiorem, ideoque plane interficiendus erat.

x) conf. Pelleri *polit. sceler Imp.* c. XXXVII. p. 487. y) Mandelsl. L. I. *Itin. Ind. orient.* c. VIII. p. 34. z) Olear. *Itiner. Persie.* L. V. c. 32. p. 652.

§. 63. Aperte tamen & sine praetextu ipse desperatum hoc negotium suscipere verebatur: ut igitur aliorum hic ministerio uteretur: belli provinciam, sub specie honoris presentissimis periculis objecturus, ipsi demandabat: Frequentius autem ut hostes adoriretur, redeunti filiam suam natu maximam Merob promittebat. Sed promittebat: natam enim hanc alteri elocatam legimus a) quo forte Davidi bilem commoveret; aut postulanti crimen rebellionis objicere, justeque condemnare posset.

a) 1. Sam. XVIII. 19.

§. 64. Aliam postea ipsi offerebat conjugem, filiam nempe suam alteram Michol.: sed sub hac conditione, ut parenti dotis loco (quam sponsi, more Persarum b), exhibere solebant centum præputia c) Philistinorum offerret. Grato hoc David agnoscens animo prudenter voluntati Regis subscribebat; ne recusando vel iram Saulis ulterius concitaret; vel sibi, fortunæque suæ detimento eslet: heroi enim leve erat desiderata afferre præputia, qui saepius vel majorem hostium numerum trucidaverat.

b) Olear. *Itin. Pers.* L. V. c. 22. f. 605. c) Dissentit Josephus *Ant. jud.* L. VI. c. XI. f. m. 165.

§. 66.



§. 65. Gallidum erat Saulis ingenium: ut enim hostes adversus Davidem vehementius excitaret, præcipiebat, maxima ut illos contumelia afficeret. Philistini enim a nulla re magis, quam circumcitione abhorrebant: hinc per convicium Israelitas circumcisos; sicuti hi illos incircumcisos vocabant: ideo autem non exegit capita, & quidem secundum Josephum 600. d), ne forsan David loco Philistinorum capita Hebræorum offerret e); aut oblatis fastidium aspicienti excitaret.

d) loc. cit. f. 165. e) H. Grot. ap. Calob. f. 752.

§. 66. Sed felix hic iterum victor, simulque invisus: quoniam tamen ex conditione prædam attulerat, Rex promissa servaturus, filiam ipsi elocabat, novas interim genero huic struens insidias. Vocabatur is in conclave interius, ut malo spiritu agitatum, in integrum restitueret: sed nisi hic David fuga sibi consulisset, hasta a furibundo transverberatus fuisset.

§. 67. Apparitores posthæc ex corporis sui custodibus emittebat. (Non enim in Republica Hebræorum vivebant lictores tales, quales in Romana, infames scilicet f) ut Davidem vel in geniali lecto interficerent g); vel saltim ne elaberetur providerent. Ast hi doctis dolis circumventi, neminem minus ac Davidem asserabant: hic enim, suasu conjugis Michol, ante horum adventum post colles & valles se absconderat & pilos saltim caprinos suorum loco, in lecto, custodibus reliquerat.

f) Dn. D. A. Pfeiffer antiquit. Hebr. p. 114. g) Calvis. Op. chron. f. 23.b.

§. 68. Miseri custodes plerumque frustrantur. Hippellem caprinam h) Davidem esse putant. Sed & Argum centoculum deceptum legimus, cur non lippientes quandoque monoculi possint. Interim nostri gratulari sibi potuissent, se non a mortua muliere, cui alias quoque non credendum h); sed a viva deceptos.

b) Dissentiunt LXX, seniores & Josephus A. J. L. VI. c. XIV. f. 168. i) Vid.

Adag. Mulieri ne credas, ne mortuae quidem ap. Erasm. f. 617.

§. 69. Eo autem facilius in hanc opinionem induci poterant, quia David cæsariem alebat: Caprarum autem Orientalium pilos tenuissimos esse mireque nitere & ad terram propendere ex Busbequio discimus l): & Bochartus pilos caprinos in oriente non assimiles humanis, villos esse testatur m).

E

l) Epist.



n) Epist. I. p. m. 80. m) Hieroz. P. I. L. II. c. LI. f. 626.

§. 70. Non est ut omnes modos privatarum insidiarum ulterius consideremus, ad hos enim reliqui vocari possunt: publice autem adjuncto sibi servorum manipulo saepissime illum persecutus est; ita ut ab ipso Davide & in spelunca quadam tegens pedes suos & in somno facile opprimi potuisset. Nec tamen Davidis erga se animum, vel nimium ab idolo illo principum *n) Ratione status, aut aliorum calumniis excrucatus: vel plane ab immundo spiritu obsessus, agnoscit.* Et haec fuit cura circa Davidem huic fructuosa partim, partim *insidiosa*.

n) ita a Reinkingio Axiom. polit. Bibl. p. II. Ax. 37. f. 73. vocatur.

§. 71. Prodeat jam Abnerus Imperator. Hic tritam quasi *ad aulam viam* inveniebat præ illis, qui vel ex humili loco nati, paupere fortuna duce, dissitarum terrarum incolæ, multo studio & labore actiones suas Regi probare intendunt: nam præterquam quod esset Regis contributus, agnatus quoque ipsi erat. Ideoque & Regi, ne suos spernere videretur & Abnero ut fortunæ suæ confuleret, intererat.

§. 72. Ex *præcipuis* ministrorum Regis fuisse videtur: nam Rex secundo huic a se & seipsum & maximam Reipublicæ curam concrediderat. *Supremum* illum historia facit militum *prefectum*, cui nemo in toto imperio similis secundum Davidis effatum *). Hinc etiam in convivio *ad lœvam* prope Regem sedebat, (non *accumbebat*, mos enim *accumbendi* non est ex vetustissimis **) qui *situs honorificentior dextro Chinensibus* est *o)* & nisi vehementer fallor, etiam *Israelitis* antiquis fuit *p)*; sicuti nostratisbus dexter sinistro. Omnes etiam assidebant uni mensæ, nec singulis peculiaris tribuebatur, quemadmodum apud Regem vel Czarem Moscoviaæ *q)* id observari solet: neque binis tantum mensula strata erat, ut *convivis principis Schamachiæ r)*. Nec in *bello* quoque multum aberat a Rege, sed itidem corporis ejus custodiam curabat, quamquam segnius aliquando officium suum tractasse videatur.

*). *I. Sam. XXVI. 15.* **) vide hoc ex Athenæi L. I. c. 14. & sacris literis probantem Bochard. *Hieroz. P. I. L. II. c. 50. f. 598.* *o)* conf. *Histor. Relat. Mission. Chinens. c. XXII. p. 312.* *p)* Conferatur Cl. Leusd. philol. *Hebræo-Mixtus Diff. XLVI q. 4. f. m. 318.* *q)* Olear. *Itin. Mose. L. III. c. 14. f. 250.* *r)* id. ib. *L. IV. c. 18. f. 425.*

§. 73.

§. 73. Virum autem generosissimi animi & prudentem heroem fuisse oportet, quia nec semel gratia excidisse legimus: nam quod Regis partes contra hostes & adversarium Davidem strenue tueretur acceptus erat. Et miror sane, cur non hic ob affinitatem & præclare gesta, itemque neglectam corporis regii custodiam magis atque David Sauli suspectus & formidolosus fuerit. Nimirum nomen & honorem regium affectare non videbatur; neque summum populi amorem sibi conciliaverat, facilius itaque omnes suspiciones declinare poterat.

§. 74. De Doëgo nunc quædam memoranda veniunt. Erat is vel *Idomæus*, & Hebræorum ritus ac ceremonias acceperat *s*); vel ex *Adamat*), urbe tribus Naphtalim *u*), non procul ab *Arama* e-jusdem tribus urbe sita oriundus *x*). LXX interpretes *y*) & Josephus *z*) vocant eum *Syrum*; vel ob modo nominatam civitatem, ex qua ortum traxisse crediderunt; vel decepti pro legendi *אַדְמָרִי אַרְוֹמִי* *a*). Alias Regis primo *Archistabularius* sive summus *pastorum* præfectus erat *b*), non mulorum ut LXX. volunt *c*); ut pote qui mercenariorum non secundarius, sed primarius fuit & armamentis pariter ac gregibus præfuisse Bocharto videtur *d*). Postmodum factus est ejus *armiger* *e*), in quo officio cum ipso Rege peribisse quidam volunt.

s) Bissel. *Dec. III. Ruin. I.* p. 166. *t*) VV. legit Edema *u*) *Jos. XIX. 36.*

x) conf. B D. Geieri *Comment. ad Psalm. f. m 947. A.* & quos citat Jun. & Piscat. *ad LL. Samuelis* *y*) *I. Sam. XXI. 7. cap. XXII. 9. 18. 22.* *z*) *A. J. L. II. 13.* *a*) conf. Mitternacht. *not. philol. Theol. ad Fabricii Hist. sacr.* *b*) *I. Sam. XXI. 7. vid. Fessel. Adg. sacr. L. VIII. c. 4. §. 5. f. 259.* *c*) conf. Bochart. *Hieroz. P. I. L. II. c. XXI. f. 240.* *d*) *l. cit. c. XLIV. f. 444.* *e*) *I. Sam. XXII. 9.*

§. 75. Hic fuit politicus talis, qualem autor anonymus *f*) informat; cui præcipit: *ut PER OMNIA moribus principis se accommodet, neque id curet, quod conductit honestumque est; sed quod principi placet.* Adulator nempe vel assentator optimus, politicus pessimus, cui religioni non erat tot commenta quot verba effingere, manusque suas sanguine innocentum atrocissime & crudeliter commaculare. Quare & regi gratus quod in quocunque opere impiο fidelissimum servum haberet.

f) *in Compend. pol. nov. c. 37.*

§. 76. Uno verbo: *Achæus* merito vocatur, qui quod secundum votum feliciter omnia ipsi procederent, Deum ejusque promissiones & committitiones susque de que habebat: omni præsidio in Regem divitiasque collocato, nullam Dei iram metuebat; nulla piorum suspiria & lachrymas æstimabat ^{g)}; cum tamen mundanam hanc felicitatem temporariam, principum gratiam mutabilem admodum divitias caducas esse, ex domesticis exemplis discere potuisse. ^{sd. 8} ³ ¹⁰ ¹⁸ ²⁰ ²² ²⁴ ²⁶ ²⁸ ³⁰ ³² ³⁴ ³⁶ ³⁸ ⁴⁰ ⁴² ⁴⁴ ⁴⁶ ⁴⁸ ⁵⁰ ⁵² ⁵⁴ ⁵⁶ ⁵⁸ ⁶⁰ ⁶² ⁶⁴ ⁶⁶ ⁶⁸ ⁷⁰ ⁷² ⁷⁴ ⁷⁶ ⁷⁸ ⁸⁰ ⁸² ⁸⁴ ⁸⁶ ⁸⁸ ⁹⁰ ⁹² ⁹⁴ ⁹⁶ ⁹⁸ ¹⁰⁰ ¹⁰² ¹⁰⁴ ¹⁰⁶ ¹⁰⁸ ¹¹⁰ ¹¹² ¹¹⁴ ¹¹⁶ ¹¹⁸ ¹²⁰ ¹²² ¹²⁴ ¹²⁶ ¹²⁸ ¹³⁰ ¹³² ¹³⁴ ¹³⁶ ¹³⁸ ¹⁴⁰ ¹⁴² ¹⁴⁴ ¹⁴⁶ ¹⁴⁸ ¹⁵⁰ ¹⁵² ¹⁵⁴ ¹⁵⁶ ¹⁵⁸ ¹⁶⁰ ¹⁶² ¹⁶⁴ ¹⁶⁶ ¹⁶⁸ ¹⁷⁰ ¹⁷² ¹⁷⁴ ¹⁷⁶ ¹⁷⁸ ¹⁸⁰ ¹⁸² ¹⁸⁴ ¹⁸⁶ ¹⁸⁸ ¹⁹⁰ ¹⁹² ¹⁹⁴ ¹⁹⁶ ¹⁹⁸ ²⁰⁰ ²⁰² ²⁰⁴ ²⁰⁶ ²⁰⁸ ²¹⁰ ²¹² ²¹⁴ ²¹⁶ ²¹⁸ ²²⁰ ²²² ²²⁴ ²²⁶ ²²⁸ ²³⁰ ²³² ²³⁴ ²³⁶ ²³⁸ ²⁴⁰ ²⁴² ²⁴⁴ ²⁴⁶ ²⁴⁸ ²⁵⁰ ²⁵² ²⁵⁴ ²⁵⁶ ²⁵⁸ ²⁶⁰ ²⁶² ²⁶⁴ ²⁶⁶ ²⁶⁸ ²⁷⁰ ²⁷² ²⁷⁴ ²⁷⁶ ²⁷⁸ ²⁸⁰ ²⁸² ²⁸⁴ ²⁸⁶ ²⁸⁸ ²⁹⁰ ²⁹² ²⁹⁴ ²⁹⁶ ²⁹⁸ ³⁰⁰ ³⁰² ³⁰⁴ ³⁰⁶ ³⁰⁸ ³¹⁰ ³¹² ³¹⁴ ³¹⁶ ³¹⁸ ³²⁰ ³²² ³²⁴ ³²⁶ ³²⁸ ³³⁰ ³³² ³³⁴ ³³⁶ ³³⁸ ³⁴⁰ ³⁴² ³⁴⁴ ³⁴⁶ ³⁴⁸ ³⁵⁰ ³⁵² ³⁵⁴ ³⁵⁶ ³⁵⁸ ³⁶⁰ ³⁶² ³⁶⁴ ³⁶⁶ ³⁶⁸ ³⁷⁰ ³⁷² ³⁷⁴ ³⁷⁶ ³⁷⁸ ³⁸⁰ ³⁸² ³⁸⁴ ³⁸⁶ ³⁸⁸ ³⁹⁰ ³⁹² ³⁹⁴ ³⁹⁶ ³⁹⁸ ⁴⁰⁰ ⁴⁰² ⁴⁰⁴ ⁴⁰⁶ ⁴⁰⁸ ⁴¹⁰ ⁴¹² ⁴¹⁴ ⁴¹⁶ ⁴¹⁸ ⁴²⁰ ⁴²² ⁴²⁴ ⁴²⁶ ⁴²⁸ ⁴³⁰ ⁴³² ⁴³⁴ ⁴³⁶ ⁴³⁸ ⁴⁴⁰ ⁴⁴² ⁴⁴⁴ ⁴⁴⁶ ⁴⁴⁸ ⁴⁵⁰ ⁴⁵² ⁴⁵⁴ ⁴⁵⁶ ⁴⁵⁸ ⁴⁶⁰ ⁴⁶² ⁴⁶⁴ ⁴⁶⁶ ⁴⁶⁸ ⁴⁷⁰ ⁴⁷² ⁴⁷⁴ ⁴⁷⁶ ⁴⁷⁸ ⁴⁸⁰ ⁴⁸² ⁴⁸⁴ ⁴⁸⁶ ⁴⁸⁸ ⁴⁹⁰ ⁴⁹² ⁴⁹⁴ ⁴⁹⁶ ⁴⁹⁸ ⁵⁰⁰ ⁵⁰² ⁵⁰⁴ ⁵⁰⁶ ⁵⁰⁸ ⁵¹⁰ ⁵¹² ⁵¹⁴ ⁵¹⁶ ⁵¹⁸ ⁵²⁰ ⁵²² ⁵²⁴ ⁵²⁶ ⁵²⁸ ⁵³⁰ ⁵³² ⁵³⁴ ⁵³⁶ ⁵³⁸ ⁵⁴⁰ ⁵⁴² ⁵⁴⁴ ⁵⁴⁶ ⁵⁴⁸ ⁵⁵⁰ ⁵⁵² ⁵⁵⁴ ⁵⁵⁶ ⁵⁵⁸ ⁵⁶⁰ ⁵⁶² ⁵⁶⁴ ⁵⁶⁶ ⁵⁶⁸ ⁵⁷⁰ ⁵⁷² ⁵⁷⁴ ⁵⁷⁶ ⁵⁷⁸ ⁵⁸⁰ ⁵⁸² ⁵⁸⁴ ⁵⁸⁶ ⁵⁸⁸ ⁵⁹⁰ ⁵⁹² ⁵⁹⁴ ⁵⁹⁶ ⁵⁹⁸ ⁶⁰⁰ ⁶⁰² ⁶⁰⁴ ⁶⁰⁶ ⁶⁰⁸ ⁶¹⁰ ⁶¹² ⁶¹⁴ ⁶¹⁶ ⁶¹⁸ ⁶²⁰ ⁶²² ⁶²⁴ ⁶²⁶ ⁶²⁸ ⁶³⁰ ⁶³² ⁶³⁴ ⁶³⁶ ⁶³⁸ ⁶⁴⁰ ⁶⁴² ⁶⁴⁴ ⁶⁴⁶ ⁶⁴⁸ ⁶⁵⁰ ⁶⁵² ⁶⁵⁴ ⁶⁵⁶ ⁶⁵⁸ ⁶⁶⁰ ⁶⁶² ⁶⁶⁴ ⁶⁶⁶ ⁶⁶⁸ ⁶⁷⁰ ⁶⁷² ⁶⁷⁴ ⁶⁷⁶ ⁶⁷⁸ ⁶⁸⁰ ⁶⁸² ⁶⁸⁴ ⁶⁸⁶ ⁶⁸⁸ ⁶⁹⁰ ⁶⁹² ⁶⁹⁴ ⁶⁹⁶ ⁶⁹⁸ ⁷⁰⁰ ⁷⁰² ⁷⁰⁴ ⁷⁰⁶ ⁷⁰⁸ ⁷¹⁰ ⁷¹² ⁷¹⁴ ⁷¹⁶ ⁷¹⁸ ⁷²⁰ ⁷²² ⁷²⁴ ⁷²⁶ ⁷²⁸ ⁷³⁰ ⁷³² ⁷³⁴ ⁷³⁶ ⁷³⁸ ⁷⁴⁰ ⁷⁴² ⁷⁴⁴ ⁷⁴⁶ ⁷⁴⁸ ⁷⁵⁰ ⁷⁵² ⁷⁵⁴ ⁷⁵⁶ ⁷⁵⁸ ⁷⁶⁰ ⁷⁶² ⁷⁶⁴ ⁷⁶⁶ ⁷⁶⁸ ⁷⁷⁰ ⁷⁷² ⁷⁷⁴ ⁷⁷⁶ ⁷⁷⁸ ⁷⁸⁰ ⁷⁸² ⁷⁸⁴ ⁷⁸⁶ ⁷⁸⁸ ⁷⁹⁰ ⁷⁹² ⁷⁹⁴ ⁷⁹⁶ ⁷⁹⁸ ⁸⁰⁰ ⁸⁰² ⁸⁰⁴ ⁸⁰⁶ ⁸⁰⁸ ⁸¹⁰ ⁸¹² ⁸¹⁴ ⁸¹⁶ ⁸¹⁸ ⁸²⁰ ⁸²² ⁸²⁴ ⁸²⁶ ⁸²⁸ ⁸³⁰ ⁸³² ⁸³⁴ ⁸³⁶ ⁸³⁸ ⁸⁴⁰ ⁸⁴² ⁸⁴⁴ ⁸⁴⁶ ⁸⁴⁸ ⁸⁵⁰ ⁸⁵² ⁸⁵⁴ ⁸⁵⁶ ⁸⁵⁸ ⁸⁶⁰ ⁸⁶² ⁸⁶⁴ ⁸⁶⁶ ⁸⁶⁸ ⁸⁷⁰ ⁸⁷² ⁸⁷⁴ ⁸⁷⁶ ⁸⁷⁸ ⁸⁸⁰ ⁸⁸² ⁸⁸⁴ ⁸⁸⁶ ⁸⁸⁸ ⁸⁹⁰ ⁸⁹² ⁸⁹⁴ ⁸⁹⁶ ⁸⁹⁸ ⁹⁰⁰ ⁹⁰² ⁹⁰⁴ ⁹⁰⁶ ⁹⁰⁸ ⁹¹⁰ ⁹¹² ⁹¹⁴ ⁹¹⁶ ⁹¹⁸ ⁹²⁰ ⁹²² ⁹²⁴ ⁹²⁶ ⁹²⁸ ⁹³⁰ ⁹³² ⁹³⁴ ⁹³⁶ ⁹³⁸ ⁹⁴⁰ ⁹⁴² ⁹⁴⁴ ⁹⁴⁶ ⁹⁴⁸ ⁹⁵⁰ ⁹⁵² ⁹⁵⁴ ⁹⁵⁶ ⁹⁵⁸ ⁹⁶⁰ ⁹⁶² ⁹⁶⁴ ⁹⁶⁶ ⁹⁶⁸ ⁹⁷⁰ ⁹⁷² ⁹⁷⁴ ⁹⁷⁶ ⁹⁷⁸ ⁹⁸⁰ ⁹⁸² ⁹⁸⁴ ⁹⁸⁶ ⁹⁸⁸ ⁹⁹⁰ ⁹⁹² ⁹⁹⁴ ⁹⁹⁶ ⁹⁹⁸ ⁹⁹⁹

§. 77. Eiusdem farinæ homo fuit ille כָּשֶׁ Cusch, de quo David in Psalmo VII loquitur, sive nomen hoc ejus proprium fuerit, quod Aben-Esra & R. Obad Gaon apud B Geierum ^{b)} volunt; sive accommodatum vel ad nomen שִׁמְאָן quod fuerit ex familia Saulis ⁱ⁾, vel ad mores, ad denotandum hominem, qui alios apud Regem calumniis & intempestivis laudibus denigrare vel invisos reddere solent. Hoc significatu nomen mores ejus abunde indicaret, quos alias David paucissimis verbis loco citato annotavit. Sed quia dubius adhuc Saulis minister est, nihil amplius afferam, ne aliena hic tractentur.

^{b)} Comment. ad Psalm. f. m. 87. E. 91 i) Lightfootus Chorogn. in Job. IV. 6. f. 93². ⁱ⁾ Lightfootus Chorogn. in Job. IV. 6. f. 93². ¹ ² ³ ⁴ ⁵ ⁶ ⁷ ⁸ ⁹ ¹⁰ ¹¹ ¹² ¹³ ¹⁴ ¹⁵ ¹⁶ ¹⁷ ¹⁸ ¹⁹ ²⁰ ²¹ ²² ²³ ²⁴ ²⁵ ²⁶ ²⁷ ²⁸ ²⁹ ³⁰ ³¹ ³² ³³ ³⁴ ³⁵ ³⁶ ³⁷ ³⁸ ³⁹ ⁴⁰ ⁴¹ ⁴² ⁴³ ⁴⁴ ⁴⁵ ⁴⁶ ⁴⁷ ⁴⁸ ⁴⁹ ⁵⁰ ⁵¹ ⁵² ⁵³ ⁵⁴ ⁵⁵ ⁵⁶ ⁵⁷ ⁵⁸ ⁵⁹ ⁶⁰ ⁶¹ ⁶² ⁶³ ⁶⁴ ⁶⁵ ⁶⁶ ⁶⁷ ⁶⁸ ⁶⁹ ⁷⁰ ⁷¹ ⁷² ⁷³ ⁷⁴ ⁷⁵ ⁷⁶ ⁷⁷ ⁷⁸ ⁷⁹ ⁸⁰ ⁸¹ ⁸² ⁸³ ⁸⁴ ⁸⁵ ⁸⁶ ⁸⁷ ⁸⁸ ⁸⁹ ⁹⁰ ⁹¹ ⁹² ⁹³ ⁹⁴ ⁹⁵ ⁹⁶ ⁹⁷ ⁹⁸ ⁹⁹ ¹⁰⁰ ¹⁰¹ ¹⁰² ¹⁰³ ¹⁰⁴ ¹⁰⁵ ¹⁰⁶ ¹⁰⁷ ¹⁰⁸ ¹⁰⁹ ¹¹⁰ ¹¹¹ ¹¹² ¹¹³ ¹¹⁴ ¹¹⁵ ¹¹⁶ ¹¹⁷ ¹¹⁸ ¹¹⁹ ¹²⁰ ¹²¹ ¹²² ¹²³ ¹²⁴ ¹²⁵ ¹²⁶ ¹²⁷ ¹²⁸ ¹²⁹ ¹³⁰ ¹³¹ ¹³² ¹³³ ¹³⁴ ¹³⁵ ¹³⁶ ¹³⁷ ¹³⁸ ¹³⁹ ¹⁴⁰ ¹⁴¹ ¹⁴² ¹⁴³ ¹⁴⁴ ¹⁴⁵ ¹⁴⁶ ¹⁴⁷ ¹⁴⁸ ¹⁴⁹ ¹⁵⁰ ¹⁵¹ ¹⁵² ¹⁵³ ¹⁵⁴ ¹⁵⁵ ¹⁵⁶ ¹⁵⁷ ¹⁵⁸ ¹⁵⁹ ¹⁶⁰ ¹⁶¹ ¹⁶² ¹⁶³ ¹⁶⁴ ¹⁶⁵ ¹⁶⁶ ¹⁶⁷ ¹⁶⁸ ¹⁶⁹ ¹⁷⁰ ¹⁷¹ ¹⁷² ¹⁷³ ¹⁷⁴ ¹⁷⁵ ¹⁷⁶ ¹⁷⁷ ¹⁷⁸ ¹⁷⁹ ¹⁸⁰ ¹⁸¹ ¹⁸² ¹⁸³ ¹⁸⁴ ¹⁸⁵ ¹⁸⁶ ¹⁸⁷ ¹⁸⁸ ¹⁸⁹ ¹⁹⁰ ¹⁹¹ ¹⁹² ¹⁹³ ¹⁹⁴ ¹⁹⁵ ¹⁹⁶ ¹⁹⁷ ¹⁹⁸ ¹⁹⁹ ²⁰⁰ ²⁰¹ ²⁰² ²⁰³ ²⁰⁴ ²⁰⁵ ²⁰⁶ ²⁰⁷ ²⁰⁸ ²⁰⁹ ²¹⁰ ²¹¹ ²¹² ²¹³ ²¹⁴ ²¹⁵ ²¹⁶ ²¹⁷ ²¹⁸ ²¹⁹ ²²⁰ ²²¹ ²²² ²²³ ²²⁴ ²²⁵ ²²⁶ ²²⁷ ²²⁸ ²²⁹ ²³⁰ ²³¹ ²³² ²³³ ²³⁴ ²³⁵ ²³⁶ ²³⁷ ²³⁸ ²³⁹ ²⁴⁰ ²⁴¹ ²⁴² ²⁴³ ²⁴⁴ ²⁴⁵ ²⁴⁶ ²⁴⁷ ²⁴⁸ ²⁴⁹ ²⁵⁰ ²⁵¹ ²⁵² ²⁵³ ²⁵⁴ ²⁵⁵ ²⁵⁶ ²⁵⁷ ²⁵⁸ ²⁵⁹ ²⁶⁰ ²⁶¹ ²⁶² ²⁶³ ²⁶⁴ ²⁶⁵ ²⁶⁶ ²⁶⁷ ²⁶⁸ ²⁶⁹ ²⁷⁰ ²⁷¹ ²⁷² ²⁷³ ²⁷⁴ ²⁷⁵ ²⁷⁶ ²⁷⁷ ²⁷⁸ ²⁷⁹ ²⁸⁰ ²⁸¹ ²⁸² ²⁸³ ²⁸⁴ ²⁸⁵ ²⁸⁶ ²⁸⁷ ²⁸⁸ ²⁸⁹ ²⁹⁰ ²⁹¹ ²⁹² ²⁹³ ²⁹⁴ ²⁹⁵ ²⁹⁶ ²⁹⁷ ²⁹⁸ ²⁹⁹ ³⁰⁰ ³⁰¹ ³⁰² ³⁰³ ³⁰⁴ ³⁰⁵ ³⁰⁶ ³⁰⁷ ³⁰⁸ ³⁰⁹ ³¹⁰ ³¹¹ ³¹² ³¹³ ³¹⁴ ³¹⁵ ³¹⁶ ³¹⁷ ³¹⁸ ³¹⁹ ³²⁰ ³²¹ ³²² <sup

eoque hæc relinquimus; & progradimur ad secundi generis Admi-
nistr. rationis actus, nempe Sagacis, qui bella respiciunt. *m) In vita ejus c. 31.*
n) L
V. c. 6. *o) conf. cap. I. §. 8.* *p) Tarnov. Comment. in Hof. V. 8.*
p. 129. *D. Joh. Schmidii Comment. in Proph. Min. p. 261.* *q) Drus.*
Difficil. loc. Sam. c. XI. 4. f. 513. *r) conf. Num. XXIV. 7.* *s) Seld-*
-eiusm misericordia. t) Seld. de J. N. & G. L VI. c. 16. p. 783. 784.

¶ 79 **BELLA** quæcunque a Saule gesta leguntur, commo-
de dispesci poterunt in *Defensiva* & *Offensiva*; & hæc in ea rursum,
quæ jussu Numinis Legisque suscepit; & adversus septem populos at-
que Amalekitas directa erant *t*); quæ cum B. Schickardo *u)* Lega-
lia vocare possimus; & ea quæ sponte ad ampliandum suum Imperi-
um & augendam magnitudinem famamque gessit *x*); *Ultronea* & Ma-
jestatis S. Hickardo dicuntur *y*). Hæc saepius contra Philistæos ut &
alios populos gerit, neque injuria, seu qualemque vindictæ me-
ritum aut tutelæ suæ ratio præcedere debebat *z*).

y) Cunatus de R. H. L. II. c. 19. p. 198. *u) J. R. p. 287.* *x) Cun. I. c. p. 199.* *y)*
b98 *L. c. p. 287. & 312.* *z) Seldenus J. N. & G. L VI. c. 12. f. 766.* *sup-*
-ben. §. 80. Ex ipsis adeo terminis cuilibet cause moventes bello-
rum a Rege nostro gestorum, innotescere possunt, quod fuerint vel
salus civium, cuius gratia Reges regnant; vel mandatum divinum,
obligans illum ad belligerandum; vel cupiditas ditandi aut dilatan-
di Imperii terminos, ac inclarusendi seu ampliandi majestatem;
quam solam majestaticorum bellorum causam fuisse, Rabbini do-
cent *a)*. *a) aliozom in ym M* *slucceca* *q. sibibnolq* *x e msi*
-dohnam M a) Selden. de J. N. & G. f. 766. ulli z. nroqz l. srioztqmi *ttaz*
-R e *¶ 81.* Et quia primam curam in quolibet bello egregiorum
Ducum ac *Officialium* esse intellekerat; sedulo allaborabat, ut co-
piis suis tales præponeret, qui rerum gerendarum notitiam non
vulgarem sibi comparaverant & adversa quæque aggredi, forti-
terque sustinere poterant. Ipse saepius præundo, quam pericu-
losum sit Republicæ, cuius Rex se bellico exponit periculo, pro-
prio nimis sero exemplo didicit. Samuel quoque in primo bello
aderat & quid militarem virum deceat, alios docuit. Fili i pro-
prii ipsum sequi tenebantur. Abner & David se non semel tan-
tum probarunt, quanquam huic Duciis provincia in suam, non ho-
stium perniciem demandata fuerit. *conf. sup. § 63.*

§. 82. Sed quid Dux, nisi habeat quem ducat? parum imo nihil efficit. Prospexit in hoc Saul sibi ipsi & Ducibus, ne soli, aut cum rudibus, lassis & immorigeris castra sequerentur. Secundum ordinem militum conscriptionem, informationem, sustentationem, disciplinam considerabimus.

§. 83. Omnes ex populo Israelitico secundum mandatum divinum judices colligere, nec exteras gentes in auxilium vocare solebant. Moris hujus egregius Noster servator erat: non enim unquam Ethnicos, quantum quidem memini, ascivit, manusque suas & aliorum conjunxit: sed suis, quanquam nimium, confusis hostes aggressus est.

§. 84. Primus conscriptionis modus ita fiebat: Saul frustas paris boum, ab ipso concisorum, cum legatis (qui civium Jabessitarum legati creduntur) per universos tribus Israel mittebat, scelerim simul profectionem omnium, quotquot militiae obligati erant, (aliquos enim ipsa lex divina b) etiam ex bellis legalibus c) excipiebat) in bellum exigens: Immorigerorum autem pecoribus similem dissectionem, qualis praesens erat, minabatur. Scena haec non levis; quippe maximae illo tempore divitiæ tam Inferiorum, quam superiorum, ex animalibus aestimabantur d). An autem hic modus semper observatus fuerit, ex unico exemplo per quam difficulter colligitur.

b) Deut. XX. 5. 8. c) Osiandr. de J. B. & P. L. I. c. 2. d) Bochart. Hieroz.
P. I. L. II. c. 44, f. 44.

§. 85. Multitudinis admodum studiosus erat, ita ut tandem hac magis quam Deo fretus, sibi ipsi mortem conciverit. Equidem multis, dux commodius hostem, præprimis locum admodum difficilem occupantem, diversis partibus lacestere & defatigare potest: Sed & tunc calliditate opus est, ut classes ordinate & commode educantur, ne vires divisæ fragiliores evadant. Interim tamen exiguis fortium ac eruditorum militum numerus pluris aestimandus, quam imbellis ac imperita multitudo, quæ saepe victorias e facibus quasi amittit.

§. 86. Quibus vero armis militaribus adversus hostem instructi, non satis liquet: Nam fabri ferrarii a Philistinis ablati erant, unde nec hastarum nec gladiorum compotes. An autem horum loco baculos & fides, more veterum e), an fundas cum Gabaasi-

Gabaafis f) adhibuerint, neque negare ausim, neque affirmare : Credo tamen plurimos privatim fundas exercuisse, quo in bello lapidibus hostes petere potuerint.

c) de quibus Virgil. *Aeneid. L. VII. 6. 524. 525.* Propert. *L. IV. El. I. 6. 18. f)*
Jud. XX. 16.

§. 87. Porro ne vel extra prælium proficiscendo, vel in prælio pugnando ordines confunderent, aut intervalla nimium laxarent: Sed quilibet optime disposita contra hostium invasiones custodire posset, prævia lustratione ipse cum suis ministris militibus serio inculcavit. Hoc in exercitio magnum rei bellicæ momentum situm est: copiæ quippe conglomeratæ cladem truculentam evitare vix possunt.

§. 88. *Lustrationis* autem locus plerumque *implus* erat, qui copias omnes capere poterat; & *tutus*, ne ab hoste impedimenta fierent; & *dissitus ab hoste*, ne huic aliquid de molitione quadam constaret. Talis locus erat tempore belli adversus Naas, Bezek.* Et quamvis Alkuranus, *Saulem aptos milites prope ripam per aquas probasse tradat* g) nemo tamen non miseram hic historiarum confusione factam, facile animadvertis. Conferatur modo cap. VII. Judicium. Nullos quoque ineptos Saulem unquam ablegasse legitimus; sed omnes quotquot secundum voluntatem suam lecti converant, assumpsit.

*). *Sam. XI. 8. II.* g) Hotting. *Histor. Orient. L. I. c. 3. f. m. 112.*

§. 89. *Alimenta* milites in morem veterum Romanorum b) sibi ipsis ex propriis sumptibus procurasse autumamus, moti in primis loco i. *Sam. XVII. 17. 18. 20.* ubi Davidem cibum fratribus suis tribus adversus Goliathum militantibus, parentis jussu, attulisse legimus: erat enim Rex novus, qui tantum nondum sibi comparaverat thesaurum, ex quo tot millibus militum præsidere potuisset. Subditi autem facile impensas has leves in cibos facere sic que securitati suæ subvenire poterant.

b) *Livius L. IV. c. 59.*

§. 90. *Disciplinam militarem* sub Regimine ejus non adeo floruisse videtur, ut pote haud raro legitimos ejus terminos vel non attigit, vel transgressus est. Duces sane absque mandato vel concessione Regis, temerarie quandoque, hostes impune invadere poterant. Militibus qui stationes suas & Duces reliquerant, ter rasque

rasque hostium absque ullo impedimento petierant, neque pœnam minatus est, neque redeuntibus infixit: adeo incomposite multa gesta.

§. 91. Æquitatem autem juramento quodam, quo milites ad jejunandum obligabat, transgressum esse, satis liquet: nam *partim* male absque ulla vel *necessitate*, hostes quippe fugati erant, nec ulla consequendi spes supererat; vel *exceptione* casus necessitatis, vel *consideratione* populi inde orturæ lassitudinis, ac ad peccandum promptitudinis commisit: *partim* male inconsulto Deo impletum voluit. Et quamvis lex hæc vel *dura* non videatur; revera tamen talis est, cum non omnibus, quos obligabat, eadem facultas sedandi famem, quæ nonnunquam otiosis est, concessa esset; ideoque durior vix esse poterat: vel *inepta*, ob occasionis observationem; imo ineptissima ob exigui exercitus consortium: vel ab ipso Deo improbata denegatione responsionis suæ; qua non approbatum est juramentum hoc; sed mandatum de observatione superiorum, ut scandalum piis datum corrigeretur.

§. 92. Ulterius ne omnem milites religionem ac pietatem in bello exuerent, sacerdotem Achiam castrensem secum duxit, ut milites ad fortitudinem & fiduciam in Deum adhortaretur, diviniisque auxiliū commonefaceret & alia personæ Ecclesiasticae debita obiret. Hic probus Sauli vir erat, qui se melius atque Samuel ad voluntatem Regis componere sciebat: ideoque gratiam ejus meruit. Et quamvis aliquando Regem ad preces ac sacrificia Deo offerenda hortaretur, nihilominus omnia voluntati ejus liberæ subjiciebat.

§. 93. *Hostes*, quantum nobis constat, multi fuerunt. Infensissimi omnium Philistini, qui ortum ex Chamo per secundum hujus filium Mizraim traxerant ⁱ⁾. Bellicissima alias gens & numerosa pariter, quæ multas Israelitarum urbes sub potestatem suam redegerat, multoque servitio vexabat. Ideoque eo allaborandum erat, quo dominium hoc intolerabile ipsi eriperetur.

ⁱ⁾ Gen. X. 10. 1. Paral. I. 12.

§. 94. Sæpiissime contra hos copias noster ducebat, vel ipse, vel nomine ejus, Duces; ut Jonathan, Dayid, fortassis quoque Abner

Abner eruditus alias miles: qui magnas saepe clades Philistinis dabant. Josephus *l)* unius cladis tactæ intra terminos Gabæ & Beth-aven numerat 60000. hostium prostratorum. Et licet suspe-
eti mihi semper numeri historici hujus sint: nam ziphras vel sex-
centies aut auxit, aut permutavit; attamen Ducem Philistino-
rum hic multos amisisse milites, plane non dubio. Prælium quip-
pe a matutina in multam noctem durabat. Taceo consulo ali-
orum, vel a Jonathane, aut a Davide, aut aliis devictorum nume-
rum.

l) A.J. L.VI. c. 8. f. m. 159.

§. 95. Hic *Ammonitæ* annumerandi veniunt, qui Jabessitas
obsidione periculosisima terrebant. Sed horum ordines ita per-
turbabat, ut dispersi, sine Rege ac Duce, eas petere vias, per quas
non venerant, soli absq; sociis cogerentur. Ipsum imo Regem
Naas hic cæsum occubuisse, Græcus ille Livius, Josephus *m)* re-
fert, quod tamen juxta *2.Sam. X. v. i.* vix credibile.

m) Antiquit. Jud. L.VI. c. 6. f. 154.

§. 96. *Amalekitas* quoque hostes habebat. Hi natales Esavo
decebant *n)* & cis Jordanem aliquot urbes possidebant, ex quibus
funditus juxta legem divinam extirpandi erant. Verum Saul
non tantum pepercit pecoribus & aliis rebus preciosis; sed & ipsi
Regi, quem captivum ob insuetam proceritatem & egregiam cor-
poris formam a Josepho nobis commendatam *o)* in splendorem &
magnificentiam aulæ contra mandatum divinum secum duxerat.
Inde & justam Dei iram meruit.

n) Gen. XXXVI. 12. o) loc. cit. f. 160.

§. 97. Contra *Moabitæ*, *Amalekitarum* vicinos; & *Edomæos*
quoque, arma sua tulit: præprimis contra Reges Zoba (quæ Regio
& Aram Soba vel Aram-Suba vocatur & proxime Euphratem at-
tingit. Horum vires a nostro Rege & Davide ita fractæ & de-
bilitatæ, ut earum rara admodum mentio post hæc tempora in Scri-
ptura S. fiat *p).*

p) conf. Bochart. Phaleg. L.II. c. 4. p. 88. 89.

§. 98. Circa ipsum prælii actum observabimus partim curam
ejus circa castram etationis locum & excubiarum constitutionem; par-
tim ejus consilia & stratagema quibus in bellis usus.



§. 99. *Casira* commodis plerumque in locis extruxit, ubi nec terrae fertilitas, aut fontium ac torrentium undæ deessent. Exemplum sit castra metatio Galgalis *q)* & Hevile *r)* facta. Neque montium cacumina, qualia prope Socho *s)* damno ipsi essent. Neque angustia loci copias compingere quasi jubebat. Uno verbo proprium emolumentum qui semper observavit, neque hic neglexit.

q) *I. Sam. XIII. 2. seqq.* *r)* *I. c. c. XV. 5.* *s)* *I. c. c. XVII. 13.*

§. 100. Curam circa excubiarum constitutionem plerumque Ducibus & officiariis aliis committebat, qui quandoque ex cordia eam negligebant, quemadmodum aliquando Abner, a quo tamen poenam, utut jure poterat, nunquam sumvit. Interim virgiles, vel excubiatores in re bellica multo usui esse, vel ex unica relatione confusionis hostium ab improvisa Jonathanis invasione ortæ, discere potuisset.

§. 101. Consilia ejus bellica & tecta media, quibus hostibus suis perniciem afferebat, considerari possunt, vel respectu militum suorum; vel respectu hostium, vel tandem respectu ipsorum præliorum.

§. 102. Multa militibus promisit præmia & honores. Fortitudinis hæc & alacritatis incitamenta sunt, quam præ reliquis Dux suis comparare tenet. Excitant & illis ad nequitiam & clamorarias cædes illorum, quorum prudentia, consilia & opera, victoriae nocere possunt. Stimulus erant præmia Davidi, ut Monomachiam compendium bellorum cum Goliatho iniret, quam alias non tam facile suscepisset. Præmiis quoque & honore servos suis contra Davidem, sed frustra, excitabat.

§. 103. Spolia fuisis demum hostibus legenda permisit, ne iis intenti milites ab hostibus, saepe ut fieri solet, ex improviso opprimentur. Militum numerum ne nimium crebris obsidionibus urbium levioris momenti consumeret, petuit Metropolin, qua nondum capta, hostis victus non est, licet prostratus sit. Regiam cum occupasset Amalekitæ *), facile reliquas perdere poterat. In obsidione urbium, non omnibus presentibus, sed aliquibus iisque fortissimis e copiis secretis, impetum faciebat, quo expugnatione repulsa denuo

denuo eam renovare; vel a tergis obsidionis liberatores retardare posset.

*) 1. Sam. XV. 5. 7. 8. (¶ siles uictoriae Galilaei de multis
§. 104. Celeritate alias multa hosti damna faciebat: nam populum dispersum intra aliquot dierum spatium colligere, eoque collecto, præter opinionem turmas hostiles dissipare poterat. Accedebat pacis & deditiois mentio, cum Naas Jabessitas obsideret; eoque dolo Regem hunc, nihil insidiosi blanditiis hisce subesse credentem, capiebat t).

t) 1. Sam. IX. 6. 16. seqq. (¶ ex 10
oup §. 105. Noctis etiam & diei caliginosæ rationem habebat, in qua partes adversæ torpēt, ad pugnam tardæ sunt & hostem irruentem accurate animadvertere nequeunt. Interim hostibus fugiendi locum relinquebat non circum circa cingendo, quo tela, & desperatione suggesta, quæ non in salutem sed mortis ultionem emittuntur, evitaret. Sicque non modo hostibus; sed & sibi suisque confulebat.

§. 106. Occasionum quoque non negligens observator fuit: in his namque plurima belli momenta sita esse observavit, & recte quidem: has enim qui neglit, nunquam nisi in somno maximum ditionum dominator erit. Nimium quoque observandi studium & Deum negligit & militum sape ruinam facit. Noster qui aliquando Philistinorum hostium turbam dissentientem viderat, sacerdoti suo ut a quærendo Deum desisteret, præcipiebat; ratus horam esse in qua omnes superari possent. Imo ne suæ deeset victoriæ, milites sub pena capitis ad jejunandum obligabat, ne fortassis hi cibum capientes moram fugienti hosti concederent.

§. 107. Pertinax ast hostium persecutio uti periculosa, ita hic quoque culpabilis: Philistinorum namque copia magna; Israelitarum exigua. Hostes ipsi quandoque fugam simulant, quo persecutores distrahit, quod & Israelitæ ipsi in bello contra Benjaminitas fecerunt *). Hostes imo pressi arma desperabundi in persecutores convertere solent, quia fuga, ultimo salutis præsidio, sibi confulere nequeunt, & quandoque victoriam ferme amissam e faucibus quasi vincentium rapere solent.

*) Judic. XX. 29. 36. 37.



§. 108. Eventus bellorum plerumque quidem felix: ultimus autem infelix admodum, partim ob auxiliū divini absentiam, partim ob amissas victorias & commissam avōxiejar Regis, quæ finem administrationis Regimini ejus imponebat. Ordo ista omnia uberrimus persequetur.

§. 109. Derelictionem divinam ipse conqueritur cum spectro illo Endoræo, licet modum responsionis divinæ extraordinarium, contra divinum præceptum, expectasse vel potius postulasse videatur. Desperatio tamen ex neglectu Dèi orta, Deum quærere e-jusque consilia advertere non permittebat. Ideoque hanc querelam non fortis, sed desperabundi hominis suisse censemus.

§. 110. Tyrannus nempe hic vanæ gloriæ cupidus, exercitum Philistinorum amplissimum viderat, suamque simul resistendi imponentiam cognoverat; ideoque futuri eventus novaturiens, certior fieri cum vellet, quærebat Deum sed responsum non accipiebat: nec tamen commovebatur, quin potius ad beneficam, mulierem mortuorum umbram ex pacto diaboli explicito excitare & extra se collocare ⁱⁱ⁾ valentem, se convertebat, Samuelem producere jubens quo dubium belli eventum ab eo cognosceret.

ⁱⁱ⁾ Dissentire videtur Casp. Schottus. Phys. Curios. L. IV. c. XI. f. 548. & a seipso f. 550.

§. 111. Impius qui Samuelem vivum audire renuerat, mortuum interrogare conabatur, qui more humano nec audire nec loqui poterat. Sed deceptus neminem minus quam Samuelem alloquebatur ^{x).} Diabolus erat, cuius faciem (si Hebræorum magistris fides ^{y)} nec ipse, nec socii viderunt. Nec orationem scenici illius Samuelis quisquam (juxta eosdem) præter solum Regem audivit, non socii non benefica.

^{x)} conf. præter reliquos Hahnii Dissert. de spectro Endoræo præf. D. Joh. Ern. Gerhardo Jenæ habitam ^{y)} Varen. Comment. ad Isa. part. II. Orat. XIV. c. 8. p. 344.

§. 112. Interim tamen seipsum cum adversariorum armis committebat a quibus ipse & universus ejus exercitus percussus, gloriam iisdem cedere renuens, armigerum rogabat, ut manus violentas ipsi inferret: recusante autem armigero (nescio qua religione ductus) ipse se gladio transverberat. Et licet Amalekita, se semivivum trucidasse profiteretur, ob mendacium tamen hoc & faciendi propositum juste imperfectus est.

§. 113.



§. 113. Mortis hujus causam ambitionem nimiam fuisse, factis & verbis constat: desperabundus enim se, in victoria, a pseundo Samuele jam denegata & gloria spem armis hostilibus exponibat: sed cum relaberetur; haec erga armigerum suum ejusdem notae hominem, verba evomebat: *interface quo me, ne vivus incircumcisus bisce iuditio sim.*

§. 114. Et quamvis vivus vexationes hostium evitaret, mortuis tamen non poterat: altero enim post prælium die hostes cadavera occisorum vestimentis, aliisque rebus spoliantes, hunc quoque, omnibus regiis insignibus ab Amalekita jam iam privatum, inviebant, Regemque esse vel ex adjacente armigero; vel ex gladio corpus transmeante, aliisque armis, vel ex facie uni atque alterius nota cognoscebant, & capite amputato, cum armis per universam Philistinorum terram, ad deprædicandum fortissimos suos Deastros misso, corpus cum corporibus filiorum ejus in Bethsan in qua hodie Scythopolis ^{z)}, suspendebant.

^{z)} Bissel, Dec. III. Ruin. l. p. 209.

§. 115. Jabessitarum tamen pietas erga Regem impium & gratitudo pro pristinis acceptis beneficiis ^{a)} merito laudatur. Hi enim circa Regis cadaver certiores facti, noctu se consociabant, corpus afferebant & truncum dempto capite humabant. Quamvis autem qui seipso vita privant, secundum mores & leges hebræorum ^{b)} recte inhumati projiciantur: nihilominus ignominiam hanc & infelicitatem corporis humani maximam ^{c)} recte ^{d)}, etiam secundum Davidis sententiam ^{e)} abstulerunt.

^{a)} conf. sup. S. 95. ^{b)} vid. Egesipp. Excid. Hieros. L. III. c. 17. ^{c)} B. Quenstedt. Tr. de sepultura veterum Rom. Græc. Jud. & Christian. Disp. II. c. 14. ^{d)} H. Grotius de I. B. & P. L. II. c. XIX. n. V. §. 4. ^{e)} 2. Sam. II. 5.

§. 116. Ipsum cadaver putridum, vermibusque fortassis scatenis (ad minimum enim in diem tertium solis radiis expositum erat) igni vel carnes consumendi ^{f)}; vel aromatibus quibuscumque accensis, illud Ægyptiorum in morem, arefaciendi & condendi gratia ^{g)} tradiderunt. Ossa vero collecta terræ universorum matris gremio mandarunt.

^{f)} Vid. D. Georgii Calixti Historia Josephi f. m. 93. ^{g)} ita B. nostrum Lutherum sensisse credo, quia verbum hebraicum נֶשׁוּ per berachern vertitur.

§. 117. Sepulchrum in *Sylvula quadam prope Jabel* ab hujus urbis incolis ipsi præparatum fuisse ex 1. Sam. XXXI, 12. constat. Specialius Autor Chronicorum ^{b)} arborem *quercum* (quamvis alii minus recte ^m לְהַ נָּסַב per Terebinthum, Ilicem, pinum, abiem, alnum &c. reddant) indicat, sub qua ipsum humarunt; ex quo sepulchro David ossa hæc tandem ad sepulchrum patris Kis, in tribu Benjamin prope urbem Zela situm, efferenda curavit.

^{b)} L. I. c. XI. 12. ⁱ⁾ conf. Ursini *Arbores. Biblicum* c. XIII. §. 1. seqq. ^{j)}
² Sam. XXI. 14.

§. 118. Ritus *alios observasse credibile quamvis sit parum tamen de illis nobis constat.* Interim Davidem orationem quasi *Funebrem*, qua præprimis Saulis fortitudinem & liberalitatem commendavit, ad propinquos suos habuisse ^m); Givesque Jabel lachrymis, septiduo jejunio aliisque mœstitiæ signis, mortem regis sui luxisse ⁿ); non possumus non referre, ne aliquid magnifici circuca funeris humandi actum defuisse videatur.

^{m)} 2. Sam. I. 17 seqq. ⁿ⁾ 1. Sam. XXXI. 13. 1. Chron. XI. 12.

§. 119. Hactenus exitus Regiminis. Nihil jam restat, nisi *mentio annorum regiminis ejus & successoris in Regno fiat.* Perplexam plane varia Autorum sententiæ durationem administrationis Saulis reddunt: communissima tamen videtur quæ 18. annos præter propter numerat: attamen nemini facile eandem obtinendimus. Successor autem verus, *David* merito censetur, non obstante Isbosethum filium Saulis ab Abnero Regem supra plurimas tribus Israel creatum dici. Sed de hoc nihil præter dicta adducenda erant.

§. 120. Habes hic B.L. quæ pro instituto nostro consignavimus; quæ si levia tibi videntur; graviora & accuratiora ipse addas: ab ætate nostra quis alia expectabit? Ignoscet tamen non ex proposito, sed ex debito peccantibus.

T A N T U M.

Gloria sit Patri; Sit Nato Gloria; Sancto
Gloria Spiritui; Triadi sit gloria sanctæ!

PARADOXA.

1. **Omnia paradoxa sunt falsa, nostra sunt vera.**

2. **Recte equidem accidenti opponitur substantia, sed quandoque substantia est accidens.**

3. **Aggregatum non est Ens.**

4. **Non datur malum, quod non est bonum: datur tamen malum quod est bonum.**

5. **Diabolus non est a Deo, etiam si omne Ens sit a Deo.**

6. **Recte secundum Cartesianorum sententiam sol non quiescit.**

7. **Datur vacuum quod non est vacuum.**

8. **Nemo contrarium sentiens nisi mediis violentis ad assentiendum nostrae sententiae adigi debet & potest.**

9. **Justitia est causa legum; & leges sunt causa justitiae.**

10. **Aeternum quoddam est finitum.**



ANITA JOYCE



